

N. A.  
VITA  
TRIUMPH

CORNELIUS  
CEELVINK

1343.

172 -

V I T A  
TRIUMPHANS

C I V I L I S,

S I V E,

Univerſa VITÆ Humanæ  
PERIPHERIA,

Ad Mentem

*Illustris Herois & Philoſophi,*

D. RENATI DES CARTES :

Ex unico Centro deducta.

A U T O R E

NICOLAO APATI

*Paſſonia Debrecinenſi.*



AMSTELODAMI,

Apud ABRAHAMUM à SOMEREN.

Anno 1688.

SI tenetipsum poscēdū Viceris, cetera facilius Subjugabii. PERFECTA VICTORIA EST DE SEMETIPSO TRIUMPHARE. Qui enim semetipsum Subiectum tenet, ut sensualitas Rationi, & Ratio in cunctis obediāt ipsi, hic verē VICTOR est SUI, & DOMINUS MUNDI. T. à KEMPIS De Imit. Christi, Lib. 3. C. 53. §. 2.

MULTI, multa sciunt; sed seipsos nesciunt;  
Cum summa Philosophia sit COGNITIO SUI. Hugo.

AD MORES & ad VITAM CIVILEM hæc plerūque pertinent, neque obscura sunt, sed in oculos incurrunt: Itaque ubi invidia decesserit, Homines hæc & vera cernunt & mala esse culpanda hant negabunt: Neminem autem scientes lasimus. Procul hoc vitium nou à chartis modò istis; sed à pectore quoque nostro abesse palam omnibus testatum facimus. Siquis aliter censuerit, injuriā faciet simplicitati meæ. Etenim, qui paucis notus, paucioribus verò familiaris esse funderem, ita semper vixi, nti & illos ingenuitatis meæ & hos habere fidi amoris testes. Quare nec in illos dicere aliquid asperè debui, & in hos non poteram. Qui incogniti mihi, quique visi nunquā sunt, nimis imprudenter facient, si se ipsi prodant. Sed hæc levia puto. Currens in MENIPPO, in Præscr. ad L. L.

ILLUSTRISSIMIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
Rerum Politicarum Peritiā & Vsu  
SPECTATISSIMIS, REIPUBLICÆ AM-  
STELODAMENSIS,

PRÆTORI ÆQUISSIMO,

D. D. Doct. JACOBO BOREEL.

COSS. & SENATORIBUS MERI-  
TISSIMIS,

D. D. JOHANNI HUDDE.

D. D. CORNELIO GEELVINCK,

Domino de Castric. &c.

D. D. Doct. NICOLAO WITSEN.

D. D. JOHANNI APPELMAN.

Salutem, Pacem, Victoriā & TRIUM-  
PHUM,

Ab eo, qui solus est

Salus, Pax, Victoria & TRIUMPHUS!



Robè mihi compertum est  
VIRI ILLUSTRISSIMI, oc-  
cupationibus VESTRIS lon-  
gum intervenire, esse in Remp.  
peccare, cum VOS eo loco  
positi sitis, ut nullum tempus  
excipere possitis, quod gravioribus negotiis  
fur-



surreptum non videatur: Pauxillum tamen VOS morari VIRI GRAVISSIMI temeritate submissa deliberavi diu; nam præclare mecum & dictâ civilitate, agi puto, si quantum Virtutem VESTRAM admirari, tantum AMPLITUDE VESTRA gloriari possim. Neque dubito VOS, me, exotico Genitore fatum, hanc qualem cunque opellam, VOBIS in æternum meæ gratitudinis testimonium consecrare, & ad divinam VESTRI Favoris & Amoris aram suspendere volentem, competenti habituros Animo. Quare illud, quod propositum à me est, confidenter ordiar. Me adhuc puellò, MAGNIFICI PROCERES, P. M. *Generosi D. nostri Parentis* decretum erat, si quando Patrius post nubila Phœbus inclauerit, Deoque Tutorum benignissimo visum fuerit, me, Exoticarum Academiarum salutatorem fore. Postquam autem mei ingenio liudicium, ætate crescente, crevisset; non tamen communis Patriæ Spes fixò fundamentò staret, tempora laberentur & dies non remorante fræno velut umbra fugerent, tacitisque senesceremus annis, sub spè contra spem, Fatum Paternum profectus mei unice aventissimum, filiali obedientiâ exequutioni mancipare, & aliorum monitis accedentibus, peregrinationem suscipere prorsus consultum duxi. Præposito mihi hoc proposito: ut Lac & Fontes studiorum ingenuorum, citis pedibus adire & pronò affectu usurpare volenti, in majori ampulla propinarentur ad facietatem; si verò studia,

studia, quædam felicioris mei emolumentum necessaria nescio quopacto negligenter, *בראשית*  
*In Timore Domini* Experientia legitima quantum quidem fieri posset compensaret. Hæsi festinando lentè, etiam cum indifferenti rationis iudicio deliberavi diu, quæ mihi suslutanda, videnda, & experienda foret terrarum orbis, prærequisitis nondum à me expertæ Pacis & degustati ejus favi delicis, regio. E velligio micantis instar syderis mentem perstrinxit felicissima & ex omni parte Fulgidissima *Belgii* Mundi Reginæ, *Hollandicæ* toti terrarum orbi stependæ celebritatis Provincia. Præprimis Iudicia Virorum Eximiorum mihi audisse contigit, qui, velut excellentes debitarum laudum & Encomiorum præcones, merita *Belgii*, in ibi *Hollandiæ*, hic *Amstelodami* & *Lugduni-Batavorum*, ex intîmis deprædicabant.

*Primum* esto Cl. D. N. *ni fallor*, *Buxtorfii* elegans Iudicium: *Belgium* Orbis Annulus est, hujusque Annuli Unjo *Hollandia* est. *Belgium* Mundi Oculi est, hujusque Oculi Pupilla *Hollandia* est. *Belgium* Orbis Theatrum est. Hujusque Theatri Deliciæ *Hollandia* est. *Belgium* Orbis Nemus est, hujusque Nemoris Cædrus *Hollandia* est. *Belgium* Orbis Cælum est, hujusque Cæli Sol *Hollandia* est. *Belgium* Orbis Regina est, hujusque Reginæ Corona *Hollandia* est. Mirum sanè & *Scaligeri* admiratione dignum VESTRÆ hujus terræ *Hollandicæ* ignoratum, Peregrinis vix fidem habiturum miraculum:

# EPISTOLA

Omnia Ianitium lassat Textrina Minervæ;  
 Lanigeros tamen hinc scimus abesse Gre-  
 ges.

Non capiunt Operas Fabriles Oppida Ve-  
 stra;

Nulla Fabris tamen hæc Ligna ministrat  
 Humus.

Horrea triticeæ rumpunt hinc frugis Acervi;  
 Pascuus hinc tamen est, non Cerealis Agër.

Hic numerosa Meri stipantur dolia Cellis,

Quæ Vineta colat nulla Putator habet.

Hic nulla, aut certè Seges est rarissima Lini;

Linificii tamen est Copia major ubi?

Hic mediis habitamus Aquis, quis credere  
 possit?

Et tamen hinc nullæ, spontè bibuntur  
 Aquæ.

*Secundum* esto Elogium, ipsum Dn. *Nicolai  
 Cammii* Epigramma, quo Ocellum Urbium,  
 VESTRUM VIRI AMPLISSIMI in  
 Orbe Orbem & Mundi perambulabilis simul  
 ac navigabilis expressam Epitomen, Summam  
 & Compendium Hollandiæ Metropolim *Am-  
 stelodamum* Ornatum ivit:

Hæc illa est *Batava* non ultima Gloria Gentis,  
 Amnis cui Nomen cui Cataracta dedit.

Dicta prius *Dammum*, raris habitata Colonis  
 Cum contenta casis rustica VITA fuit.

Hinc *Amsterdamum*, jam facta Celebrior;  
 atque

Fortunæ crevit tempore, Nomen item.

Urbs

# NUNCUPATORIA.

Urbes est nota propè, atque procul distantibus

Oris,

Dotibus innumeris suspicienda bonis.

Dives Agri, Dives pretiosæ Vestis, & Auri,

Ut pleno cornu copia larga beet.

Quod *Tagus* atque *Hermus* vehit & *Pactolus* in  
 unum,

Verè hic congestum dixeris esse Loci.

Nec immeritò, ut loquar cum *Barleo*; Nam

Quicquid mortalis fingit solertia curæ,

Vel natura suo parturit alma sinu;

Illa dabit, totòque parans commercia Mundo,

Nunc emere & totam vendere semet amat.

*Tertium* esto *Lugduni-Batavorum* Encomium,  
 cujus feliciter fixi sunt ad CELEUSMATA

remi, de quo sic Ille:

*Lugdunum-Batavorum*,

Alma Mater Studiorum,

Nidus Sacæ Studioforum,

*Hispanicorum* TRIUMPHORUM

Grave Saxum superbiorum.

*Rheni Bicornis* Alumnorum

Vivat *Lugdunum-Batavorum*.

Hæc & alia quàm plurima enumerationis meæ  
 posse innumeris parasangis exsuperantia Argu-  
 menta: nec non, Auro contra æstimanda Ce-  
 dròque notanda Encomia, tantopere Animum  
 meum inflammabant, ut incredibili desiderio vi-  
 dendiejus Soli, ejusque Sali malaciam experien-  
 di, flagrarem & arderem, rectaque petere con-  
 tenderem. Auspicante Deo, caularum quæ sunt  
 suæ arbitro, inchoatæ longæ molestæque itinera-

tioni *Lugduni Batavorum* terminum imposui; ubi, ultra biennium confedi, Literis variis incubui. Nequid de meis cessaret rebus, & ne vires citò flaccescerent, aut planè oneri succumberem, studiorum amœnitates quæfivi: Et si in *Juridicis*, sub umbra Excellentis Viri D. *Philippi Reinhardi Viriarii*: In *Philosophicis*; sub Cl. D. *Burcheri De Volder*, Viri Acutissimi: In *Lingv.* ut &, *Histor.* ac *Antiqq. Rom.* sub Cl. D. *Jacobi Gronovii*, Viri Prudentissimi, me exercuerim; studium tamen Sacræ *Theologiæ* & Divinæ Scripturæ, ex flagranti Animi devotione ad pedes meorum *Gamalielum, quorum memoria esto in flagrantissima benedictione*, quantum quidem Divina Gratia suffecerat, ut *Domi*, ad P. M. Cl. D. *Georgii Martonfalvi*, Theologi Sinceri, Viri Pientissimi: Cl. D. *Martini Szilasyi*, Viri Solertissimi: Cl. D. *Pauli Lisznyai*, Viri Dexterissimi, Professoris Potentissimi, sub quo *Chronologiæ Sacræ, Geograph. S. Controv. Theoll. & Logices, ut Publicæ, ita Privata comprehendantur studia*: Ita *Foris*, ad Reverendorum ac Celebb. Virorum ferulam, *Viz.* Cl. D. *Friderici Spanhemii* F. Viri faciliè Ingeniosi: P. M. Cl. D. *Christophori Wuttichii*, Viri Solidissimi: Cl. D. *Stephani Le Moynes*, Viri Judiciosissimi: Cl. D. *Jacobi Gaillardii*, Hospitis mei, ut &, Præceptoris Pub. & Priv. æternum Venerandi, Viri Industrii: Cl. D. *Jacobi Triglandii*, Viri Gnari & Disertissimi, studium inquam *Theologicum*, colui, veneratus sum, cœlo locavi, etiam quater in ejus arena publicè me stiti: ad eandem rectè secandam, inculcandam & propagandam,

dum

dum liquit & licet me paravi, paro, Deò & meâ Conscientiâ internè; externè verò adhucdum hodie, Evergetis ac Præceptoribus Rev. ac Clarr. Viris, D. *Ludovico Wolzogen*, Viro Lectissimo, multijugâ Eruditione Gravissimo: D. *Gerbrando Van Leeuwen*, Viro Erugatâ ac Renidenti Fronte, Theologo Summo, meis emolumentis Intentissimo, testibus: Nec non, Viris Celebb. à prædictis officiis liberis, conversationis meæ Assylis, D. *Abrahamo Van Poot*, M. D. Expertissimo, ut Theologicarum, ita Rerum Hungaricarum Scriptore Probatissimo, Viro Candidissimo: D. *Petro Poirer*, Metaphysico Inaudito & Subtilissimo, Viro Sanctâ Charitate nobis devinctissimo: Rev. ac Cl. Viro D. *Eliâ Arnoldo*, Hospit. n. Exoptatissimo, Jucundissimo, Sene Venerando: Ut &, G. D. *Nicolao Kis M. Totfalusi*, Incomparabili Literarum Magistro, Viro in Ecclesiâ Zelotissimo (qui difficilimis his, & prope desperatis Ecclesiæ Hungariæ temporibus, ei sacrisui idiomatis, proprio instinctu, molimine, sumptu & stupendâ industriâ in lucem editis, perquam maximè eorundem indigæ succurendo, qualiter VITAM suam in foro Reip. Christianæ TRIUMPHARE gestiat abunde docuit,) Amoris nostri *Jomthano*, suis Symbolis eodem aurigantibus. Et ad nutum Dei vocantis, dum *Divine Majestati placeat*, attendo. Apud VOS itaque VIRI AMPLISSIMI p. n. Divinâ annuente Clementiâ ex meorum placito Majorum admotus, in exoptatissima Pace delitescō, totus in eam incumbendo curam & cogita-

gati

\* 5

tio-

## EPISTOLA

tionem, quatenus Talentorum particellas, divinitus mihi conceditas meæque Conscientiæ committas & dicatas, *quantum quidem per meam quodque tenuitatem liceret*, ad sacram *opus sibi* conferrem, & ad ejus portum traducere quirem; atque ita spartam quam nactus sum exornarem. Periculum feci, laboravi, rigavi, Deo incrementum non denegante. Quibus autem Tutelaribus acquiescere tutò valerem, improbo labore inquisivi. Equidem tanto facilius animum meum induxi, uti hæc VIRIS AMPLISSIMIS inscriberem, quod sub umbra alarum AMPLITUDINUM VESTRARUM, me requiescere & in studiis incrementum fumere videbam, & VOS primarios quosdam hujus seculi VIROS, & totidem erectæ mentis *Salomones* cogitabam, quorum est Eruditio ejusmodi, ut, si quid etiam dictum hîc est, quod nauseam nonnullis fortassis creabit, benè de eo præclarèque judicare possitis. Et est summa quædam Laus inter cæteras Virtutes VESTRAS præfulgens, quod Conscientiis dominari, solius Dei officium esse ducatis: hoc est, vim animis non adferatis circa divina diversum à nobis sentientibus. Hæc ipsa, quamprimùm mentem meam impregnârunt, illicò super portu AMPLÆ GENEROSITATIS VESTRÆ, fluctuantem cimbam summâ cum Animi voluptate sedavi, ut nihil quicquam Humanitatis & Verecudiæ Legibus adversum aut absonum complecti visum fuerit, quominus prono nostro calculò, Affectum nostrum VOBIS, certum ratumque faciendi studium, deliberatò approba-

re-

## NUNCUPATORIA.

remus. Et sanè nullis convenientiùs quàm VOBIS VESTRÆQUE Tutelæ & Curatelæ hoc operis concedere & commendare me posse adhucdum in hoc horæ meæ puncto, animadverto. Scio pleròsque in hac esse sententia, nulla re magis Majestatum Animos demereri posse, quàm Auro, Argento, Gemmis & id genus muneribus, quibus Majestatum fastigio magnam fieri accessionem arbitrantur: At ego longè satiùs esse duxi, perpendere, quâ Fide, quò Candore, quâ denique Sinceritate & Voluntatis alacritate, quisque sibi Majestates demereri studuerit: Nam cum in amplissimis rerum suggestis sint constituti Potentes, quid est quod ad Felicitatem eorum hujusmodi Fortunarum illecebris amplius accedere queat? Qui verò contendit, ut illis Immortalem Gloriam adportet, is meritò cæteris præferendus mihi videtur: Quod non aliâ re faciliùs fieri posse arbitror, quàm si quis nomen illorum scriptis suis provehat ac posteritatis memoriæ tradat & ut Exemplar imitationis exhibeat. Cui enim testatum foret tot Heroas, Cæsares, Reges, Principes ante nostram memoriam vixisse, nisi Clarissimorum juxta ac Doctissimorum Virorum Literis fuissent celebrati? Atque id, *ut videmus*, ab iis solùm fieri potest, qui felicioribus Ingeniis majorique Eruditione præditi sunt. Cæterum, cum utrâque via mihi sit præclusa, & nec Opibus polleam; sed sit mihi curta supellex, nec mihi quippiam Eruditionis vindicare audeam, super est, quod in sacrorum ritibus observari solet, qui Tauro vel Thure sacrificare nequeunt; Far-

re

re tamen & Molâ falsâ litant, & Diis rustici Lacte  
multâque Gentes supplicant:

Jupiter Ambrosiâ satur est & Nectare vivit:  
Nostamen Extâ Jovi, Thura Merumque  
damus.

Nec solet in quæstionem venire: num Victimæ sint  
mediocres vel opimæ, aut auro præfulgentes? sed  
in pia & rectâ Voluntate venerantium; Deorum  
honos trutinatur: Ita etiam Boni Farre & fœtili re-  
ligiosi sunt; cum tamen Mali non effugiant im-  
pietatem, quamvis Aras sanguine multo cruenta-  
verint. Magnæ quôque Majestates non-nunquam  
plebejis rebus delectantur, nec rei solum quæ da-  
tur, vel usum, vel inopiam; sed alacrem magis  
dantis Promptitudinem respiciunt: Generoso-  
rum enim Virorum est magna dando, parva ac-  
cipiendo latari; quippe Animi præcelsi ac pror-  
sum Regii est, vel ab infimæ sortis hominibus  
collata non aspernari; verum serenâ fronte acci-  
pere:

Qui rapitur spumante Salo, sua brachia Campi  
Porrigit ad spinas durâque laxa manus.

Accipitrem metuens pennis trepidantibus Ales  
Audet in humanos fessa venire sinus:

Nec se vicino dubitat committere tecto  
Quæ fugit infestis territa Cerva canes.

Regi Persarum *Artaxerxi* inter eundem *Vulgaris*  
quidam *Operarius* occurrens, cum nihil aliud  
præsentare posset, Ambabus manibus aquam de pro-  
fluenti haultam obtulit: libenter admodum Rex  
accepit risitque cum dantis mirè affectam Volunta-  
tem; non autem rei datæ indigentiam pondera-  
ret,

ret, ut qui non minus Regium atque Humanum  
esse duceret parva promptè gratèque accipere,  
quàm magna liberaliter benignèque largiri. Ita  
*Alexandro M.* durâ siti laboranti, *Miles* aliquis,  
filiis suis subvenire volens, Galeam Aquæ obtulit,  
Rex gratanter admodum mensus est propensi por-  
rigentis Animum; non autem externam oblâti be-  
neficii materiam duræ crisi subjecit. *Socrati* cum  
multa multi pro suis quisque facultatum modulis  
offerrent, pauper ejus Auditor *Æschines* ait ad  
*Socratem*: *Nihil dignum Te quod dare Tibi possem*  
*invenio, & hoc uno modo pauperem me esse sentio:*  
*Itaque dono Tibi quod unum habeo me ipsum: hoc*  
*munus rogo qualecunque sit, boni consulas; cogites-*  
*que alios cum multa Tibi darent, plus sibi reliquis-*  
*se: At Socrates! Quidni Tu mihi magnum mu-*  
*nus dederis, nisi forte parvo Te æstimas? Habebo*  
*itaque curâ, ut Te meliorem Tibi reddam, quàm*  
*accepi.* Hoc munere vicit *Æschines*, *Alcibiadis*  
parem divitiis Animum, ut & omnium Juvenum  
opulentorum Magnificentiam. Hanc Itaque *VE-*  
*STRI Vulgaris Operarii, Militis, deque paupe-*  
*re suppellectili quantulamcunque munificentiam*  
*Æschinis*, sereno vultu admittatis, è longinquo  
missi *Benjaminis* munus ne contemnatis, tali be-  
nigno quali offertur Animo, & lætis auspiciis af-  
sumatis & excipiatis adeoque humanitatis suppa-  
ro tegatis, oro, iterumque oro: *VITAM e-*  
*nim Viventibus VITÆQUE VESTRÆ*  
*Custodibus offero. I. VITAM appello.* Tum  
*Q.* hâc Actiones Humanas, quæ solæ nos vivere  
faciunt, exactiori subjeci scrutinio. Tum *Q. quod*  
*ta.*

## EPISTOLA

ramen præfatione dictum sit, eam hinc viam sum  
moltus, quam si sequamur, verè vivere, & bel-  
lè TRIUMPHARE censeamur. Hinc  
II. excellenter TRIUMPHANTEM vo-  
cò: Sumptâ phrasiologia à cognomine *Bacchi*  
*Thebani*, *Jovis* & *Semeles* filii Θεῶν, qui pri-  
mus omnium post homines natos, *Indiâ* debel-  
latâ apud *Græcos* TRIUMPHUM instituendo  
Θεῶν: hoc est, TRIUMPHANS, aliàs *Liber Pater*, dictus est, ut *Solinus* *Cap.*  
*LIII.* scriptum reliquit, & *M. Varro* *Lib. V. de*  
*Lingua Latina*; memoriæ ferram reciprocavit.  
Ritueodem *Græcorum* à *Romanis* amplexo, pri-  
mòprimùm *Romulus* ejusdem instituti Autorem  
egit: Adstipulantibus pro nostra conjectura *Dio-*  
*nyso* *Lib. 11.* *Plutarcho* in *Romulo*, etiam *Messal-*  
*la*. Circa Etymologiam vocis variant Scripto-  
res; nam *Varro* in *cit. loc.* aliter exponit quàm  
*Livius* *Lib. XLV.* A quibus iterùm *Tranquillus*  
divertit: Nos etiam cum quibusdam, TRIUM-  
PHUM nomen *Græcum* putamus; quod e-  
nim Θεῶν appellant *Græci*, *Latini* aspiratione  
ex prima in novissimam syllabam translatâ, & B.  
in P. mutatâ, TRIUMPHUM dixerunt:  
Quo inclinare nobis videtur *Onuphrius Panvinus*  
*Veronensis*, de TRIUMPHO. Erat autem  
TRIUMPHUS inter Honores omnes, qui à  
S. P. Q. R. dari solebant, eximius. Pompa sci-  
licet solemnitas illa, quam is, qui auspiciis suis,  
hostibus prælio divictis, cum incolumi exercitu  
in Urbem redibat, *Senatus* primùm decreto, post  
etiam jussu *Populi*, per excellentiam CURRU  
TRIUM-

## NUNCUPATORIA

TRIUMPHALI splendidissimo, Glorio-  
si TRIUMPHATORIS Nomine Honoréque  
digno: Nec non, TRIPUDIO & JUBI-  
LO *Militum* TRIUMPHANTIUM per  
Urbem in Capitolium eunti: Jo TRIUMPHE  
Jo! additis, conseqebatur. Nos itaque cum  
*Romanis*, per Rhetorum *Hellenismum* phrasin  
TRIUMPHANTIS *Græcæ* Linguae propriam  
in sermone *Latino* usurpavimus, & pereorun-  
dem *Hyperbaton* quali, à recto ritus ordine,  
*siquidem* *Martialiter* & *Politice* institui solebat, in  
aliud concinnior, viz. *Scientificum* & *Intel-*  
*lectuale*, elegantiae & varietatis ergò, transpo-  
suimus, & in Titulum Operis adoptavimus. Nec  
immeritò: De pluribus enim aliorum erroribus  
& hallucinationibus, nostri Animi Passionibus,  
& Moribus CIVILIBUS effrenibus, victoriâ  
obtentâ, victores à militia spoliis onusti, tro-  
phæisque in toto hujus Enchiridii cursu, ere-  
ctis, jubilantes & ovantes, sicque TRIUM-  
PHANTES, rediimus: Exploremus VITÆ  
quam propono estò *Prologum*, estò *Epilogum*,  
estò *Cursum Intermedium*, TRIUMPHUS est,  
*Illic* siquidem hostium parce ante visorum infue-  
tæ multitudini occurrendum: *Hic* vel invito pu-  
gnandum: *Isthic* etiam omnibus destituto viribus  
vincendum, ubique TRIUMPHANDUM,  
Animòque inculcandum illud aureum: *Hic Rho-*  
*des, hic salta.* Hinc est, quòd TRIUMPHUS à  
TRIUMPHATORE solemnè TRIUMPHA-  
TU & POMPA, Tropheorum prinaculo Titu-  
lò VITÆ TRIUMPHANTIS insigni è re super-  
in-

## EPISTOLA

inseculptò, peragatur. III. PERIPHERIAM nomino, propter miram quam VITA nostra cum PERIPHERIA habet *admodum* i.e. convenientiam: *Illa*, docentibus Mathematicorum Filiis à quo puncto incipit ad illud redit: *Hæc* à Deo descendit ad eundem Deum reditura *Illa* centro manente eodem nunc major, nunc minor esse potest pro arbitrio Mathematici: *Hæc* modò longior, modò brevior, pro arbitrio Summi illius Mathematici, qui PONDERE, MENSURA, NUMERO - - Omnia fecit, *Sup. 11:21. Illa* figurarum omnium perfectissima, admirabilissima est: *Hæc* omnium VITARUM perfectissima & admirabilissima est, Q. Hominis est, qui Creaturarum omnium perfectissimus, nobilissimus & admirabilissimus est, quod ex ejusdem cum aliis collatione deducere posse facilissimum est. IV. UNIVERSAM HUMANAM hinc VITAM & non Hominis latè sic dicti, aut Angelicam, cum qua nihil impræsentiarum mihi erit negotii, contempler: *Philosophum* siquidem egerim, & secundum ductum Rectæ Rationis, telam meam pertexuerim sicque CIVILEM nominaverim; quamvis Themata nonnulla perpetuis deductionibus & Exemplorum, vel ex trivio, vel ex monumentis Historiarum, tam Sacrorum, quam Profanorum, disciplinisque, ut *Logicâ*, *Philologicâ*, in Demonstrationibus *Mathematicâ*: sic etiam ex facultate *Theologicâ* de promptorum illustrationibus citare non neglexerim, & sic VITAM, quæ dicitur in habitudine ad Re-

ve-

## NUNCUPATORIA

velationem, HOMINIS, multum *parcè*; quamvis non minus quam quivis alius Beatitudinis æternæ compos fieri exoptem, trutinare meminerim. Dico *parcè*, in respectu ad quædam Themata, quæ rebus fidei & religionis subtervire, atque ita ulum Rationis in S. S. *Theologia* suis in locis ostendere, maluerim. V. Illam dico UNIVERSAM, quòd scil. ejus Semina quasi Generaliter & Fundamentaliter, ordine decenti, ut aliis satisfaciam, colligendo, vix mihi satisfecerim, sicque tradiderim, ut pluribus Conclusionibus ex præmissis, confectariorum locò erutis, quibusdam earum, aliàs nonnisi in visceribus præmissarum latentibus, coronaverim: & quamvis *difficultas* diligentissimâ interpretatione singula tradendi me detertere potuisset; malui tamen in altis & abruptis aliquò modò labi, quam per ea, quæ sunt ex omni parte plana, tutum iter sine laude facere. VI. Dico AD MENTEM ILLUSTRIS HEROIS ET PHILOSOPHI DN. RENATI DES CARTES: Ubi D. CARTESIUM appello ILLUSTREM HEROEM: Nec immeritò: Certum enim est illum fuisse DOMINUM DE PERRON, NATUM HAGÆ TURRONUM, & Illustrem Castorum Cultorem, ut ex *Dissertatione* ejus de *Methodo* luculenter efflorescit: Unde proditum est nuncupari illum ILLUSTREM HEROEM. VII. Dico PHILOSOPHUM, quod ipsum Illustria ejus & Præclara castigatoris hujus avi Philosophemata, ingeniosè inventa & detecta, nec

\* \*

non

non Experientia, Veritatis convincunt: Fuit enim Naturæ Myſta ſagax, qui primus inacceſſum p̄ tot ſecula Verum è tetr̄is longæ caliginis umbris eruit: Unde Principia & Semina Doctrinæ ejus quoddam ſemper ſuſpexim magnique æſtimaverim, Mores imitari vel ſaltem ſcribendo, ſi parva cum magnis citra divitiarum collationis conferre liceat, non erubui: MENTEM ejus aſſequi intendere; etſi per modum magis conſentaneum, mihi non fuit alienum: *Modestia* enim & *Scientia* tantopere condolatæ in ipſo traduntur, ut poſt inſtaurata à fundamentis Philoſophiam, apertam ad penetralia naturæ mortalibus viam, novam, certam, ſolidam, hoc unum EPITAPHIUM ejus incertum reliquerit: Major in eo *Modestia* eſſet an *Scientia*. Quæ ſcivit ipſe vera, verecundè affirmavit, falſa, non contentionibus; ſed vero admo-to refutavit. Nullius Antiquorum obtre-ctator. Nemini Viventium gravis. Invidorum criminationes purgavit innocentia morum. Injuriam negligens. Amicitia tenax. Sed noſtra laudatione non eget, quod in ore omnium Bonorum nativâ ſorde elutorum poſitum eſt, quod publico omnium conſenſu teſtatum eſt, adde, quoddam optimum laudare ſit ipſi detrachere. Cæterum Vid. Tract. exhibentem *Specimen Modestiae & Prudentiae in Philoſophando* Celeb. Viri, D. *Johannis de Raey*, olim J. D. CARTEſII Familiaris, & in Inclſta Academia Lugd. Batav. Profef. Celeb. jam verò hujus noſtræ congregationis *Amſtelod.* Profefſor

foris

loris Primarii, Philoſophi Acerrimi. Quis eſſet itaque ille qui tantarum Laudum Conclave intrare detrectaret? Niſi mentis inops, & cui Patriæ fumus igni alieno luculentior apparet: hoc eſt, qui ex eorum numero videri vult, qui omnia per modum *Bathylli* ſibi præſumunt, & ſe ex ſeſe aliquid eſſe hariolantur. Nec diffiteor me ex aliorum etiam D. CARTEſII ſequacium, hauſiſſe fontibus, viz. Cl. D. *Martini Sylvani*. Cl. D. *Petri Poiret*. D. *Anton. Le Grand*. D. *Ludovici de la Forge*. In Theologicis quibuſdam, Magni *Guil. Ameſii*. Celeberrimi D. *Joh. Cocceji*, &c. In Juridicis Imperatoris *Juſtiniani*. D. *Hug. Grotii*. Cl. D. *Ulrici Huberi*. Cl. D. *Phil. Rein. Vitriarii*. D. *Adriani Houtmyn*, &c. cum quibus contuli præclariffimos, doctiffimòſque Viros tam novos, quàm veteres: Nec hoc *Ciceroni* puduit, qui in libris de Republica, *Platonis* ſe comitem profitetur: In conſolatione Filia, *Crantonem* inquit, ſequor; item *Panætium* de officiis. Nec feci hoc ſine judicio: non enim volo pari paſſu ambulare, aut in una ſede morari cum illis Ingratis, quos pudet fateri, per quos profecerint. Apage cane pejus & angve tales Sciolos, Lucifugas, Tenebriones & Hominum Pediculos inertes! Notum enim mihi eſt illud *Macrobi*: Verus legendi fructus eſt æmulari ea quæ in aliis probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum opportunâ derivatione convertere, Neque labor noſter, dixit olim *Fridericus Taubmannus*, ob id fortaſſe vilioris æſtimari de-

\*\* 2

bet,

bet, quòd ex alienis libavimus, ut Apes: Sicut nec Aranearum vestis illa, & textura ideo melior, quòd ex sese fila gignant. Talia tela non erunt pro panno, neque ipsæ Araneæ suis factis possunt se se operire, *Esa. 59: 5. 6.* Quantum ad statim dicta notemus: Nobis amicum esse *Platonem*, amicum *Aristotelem*, amicum *Cartesium*, &c. At magis amicam venerandæ Antiquitatis Veritatem. Nova quædam proposuimus? Omnino dogmata *Philosophiæ* sunt nova, modò sunt vera, seu de rebus, ut sunt in se, fila ducentia: Quod & contendimus, eâ, quæ *Philosophorum* est, *Philosophandi* libertate, quâ excusso *Pythagorico* *divisio* à Ductoribus nostris in quibus cœcutire videbantur divertimus; non tamen honori eorum quicquam detraximus; sed ipsi nostræ modestiæ vim fecimus, atque ita illos reprehendimus, ut laudemus. Denique VIII. totum hoc molimen EX UNICO CENTRO DEDUCO. Quod VOBIS VIRI AMPLISSIMI, si modò ex hoc operis mei Atrio in ipsum quòque Acroaterium ingredi non pigeat, intelligere non erit difficile. Planè omnibus id quod res est suadeo; verùm excellentissima debet esse eloquentia, quæ invitis placere, aut aliquid persuadere contendit. Molitus sum, ut jam non famam, aut aliorum Conscientiam; sed se quisque testem formidaret; sed defecerant mihi centum Linguae oraque centum. Ex his tamen nemo me putet tam superbæ inpotentiæque arrogantiae, ut in tanta communis naturæ im-

be-

Becillitate solum me superesse existimem, cui interdum opus venia non sit: Credere enim se esse Sapientem, primus ad Stultitiam gradus, proximus est profiteri. Dicere audeo, me nunquam cum ostentatione dedisse: Nunquam cum jactantiâ & arrogantia disciplinam meam ut ostentionem Scientiæ, & non Legem VITÆ putavisse. Hominem me semper esse scivi & nihil humani à me alienum esse putavi. Multoties nostro sine excidere solemus. Hallucinamur omnes, aliigravia, alii leviora, nec est quisquam qui tam benè Animum suum disciplinis obfirmavit, ut nihil fugere eum amplius, aut fallere possit, utque ille invitis placere queat. Semper in Animo habui aurea illa *Salomonis* Proverbia: *Vidisti Virum Sapientem in oculis suis? Expectatio est de Stolido melior, quàm de illo, Prov. 26: 12.* Dein, *Laudet te os extranei; non autem ostium; alieni, & non labia tua, Prov. 27: 2.* Sanè aliud est sapienter loqui, aliud sapienter vivere, aliud dici, aliud esse Sapientem. Adde quod interdum vitii locò sit, nusquam peccavisse. Et rideo cùm *Dionysio Longino* & *Petro Cunæo* miscellos & fermè jejunos tales homunculos, qui sese intra limites quosdam & præscripta spatia claudunt. Ignorant Animorum suorum præstantiam ii, qui ad unius rei miscellam scientiam velut adscripti & adstricti alligatique, ultra hanc aliquid tentare, hant esse hominis putant, sensa sua torquent, & de singulis rebus in consilium eunt, ut sic vitavisse potius reprehensionem, quàm meruisse laudem

\*\* 3

vi-

## EPISTOLA.

videantur. Novi olim *Studioſum* aliquem, qui propriâ induſtriâ Cl. D. *Jacobi Altingii* Grammatiam Hebraicam ſalebrosè contextam volebat corradere, & tam criticum tamque curioſum Ardelionem ſe præſtare, ut ne quidem fieret, quod illum in iſta Grammatica ſuperare quiret, aut extra ſuccum & ſanguinem ejus præter folia & literas maneret: Incepit à prima pagina, & pervenit ad Literam ejusdem paginæ VAV, ubi, cum hæc duo vocabula DIGAMMA ÆOLICUM ſubſcripta Literæ VAV offendiſſet, obticuit, ne dicam, obmutuit, hæſit ad multos dies, ad ſeptimanam cum altera, ad *minimum*, ipſe ſolus ceſpitando inquiſivit, & ita miſer tempus ſuum miſerè perdidit. Sanè deploranda eſt talium Talparum cœcitas. Nimis anguſta res eſt, non errare, unde, qui per generoſos, lapſus omnia ſoluto impetu pervadit, hic & hominem eſſe ſe cadendo docet, &, quia nihil mediocre concupiſcit, proximus tenenti ſumma eſt. Eſt aliqua laus, *inquit Doctiſſimus D. P. Cunenſis*, magnis excidiſſe auſibus, aut recolere ea ſtudia, quibus in Adoleſcentia, quondam mirè deditus quis fuerat. Hinc nos ex ſcriptione hæc, perquam ſuavis occupabat voluptas. Juvabat identidem cogitare, quantopere Animum noſtrum delectaſſet, uti nunc, ita olim, VITÆ HUMANÆ exorbitantiarum, pro modulo noſtræ tenuitatis correctio. Cujus ſanè operæ nunquam nos pœnituit: Eſt enim continuis Sacrorum curis diſtringebamur,

tamen

## NUNCUPATORIA.

tamen quantum temporis tribuunt alii amicorum ſalutationibus, quantum alex, quantum cœteris inertis otii oblectamentis, neceſſitate premente, alterius Vitulâ arantes; tantum ego met ad ea negotia celebranda unicè ſumpſi, quorum fructus in omnem VITAM videbatur utiliſſimus. Néque putandum eſt, ad talia illicitum eſſe iis tranſcendere otia, quos ſuus ordo locuſque in aliis quoque muniis detinet, ſiquidem erectæ menti pervia ſint omnia, & quæ ſibi imperat pleræque obtineat. Tamen velim hic etiam loci animadverti in nobis, non ad omnia, quæ in buccam venerant, nos extendere potuiſſe, nec voluiſſe; immò plurima etiam ex iis, quæ dici poterant prætermiſiſſe: Enimverò quis Sapientium, Viatorem illum, prudentem appellaret, qui omnia quæ ipſi occurrunt exactiori ſcrutinio ſubjicere contenderet? Ponamus aliquem multum curioſum Ardelionem *Amſteldamò*, *Debrecinum* iter molientem, eumque talem, qui *Curiam Amſtelodamenſem* nondum expertus eſt, iſ ſanè niſi *Neforea* ſibi polliceretur, ſpeculationes ſuas, vel ſaltem in iſta *Celebratiſſima Curia*, ad aliquod Cardinales Annorum numeros elongare poſſet: nec tamen aliis, quamvis ſibi ſatisfacere quiret. Porro, in locis cæteris intergerinis, de colle ad vallem, & contra, geniò leporino & cuniculino curſitaret, ut omnes minutias ad amuſſim trutinaret, tempus eum præteriret, ita ut, Chriſtianiſſimam *Debrecinenſium* Remp. à nonnullis, ante tyrannicam nuperam expilationem, propter vigorem

## EPISTOLA

veritatis, amplitudinem, mercatorum opulentiam, liberalitatem, &c. *Hungaricam Amstelodamum* nuncupatam, videre non posset; immò hunc exitum haberet, ut, quum tot Annis, per omnes dies magno molimine, per modum Montium parturivisset, ridiculum murem nasci experiremur, & sic eum jure merito, *meo quidem* *judicio*, in numerum Stultorum, aut Asseclarum *Sisyphi* assereremus. Dico aviditatem sciendi semper esse culpabilem cum ejusmodi Ardelio, avens præter modum multa resciscere & sciscitationum non valens exlatiari, se omnibus immiscet, undique rumulos captans omniæque quæ celantur elicere quærens, afferens & aliis & sibi inquietem: Quin quosdam hæc curiositas eò impulit, ut appetitione omniscientiæ sint cum Satana ipso, *nefarium dictu!* pacti. Erectæ igitur menti temperanda desideria scientiæ: discenda & scribenda non multa; sed selecta: non futilia; sed utilia, præstat enim quædam nescire aut scribere negligere, quàm quorum nostrâ nihil interest percontari; & luce donare: ita nos; & alios quies manebit. Reperietis tamen V. A. in hoc opere difficultates quasdam, quas paulò secus quàm vulgo fieri solet expedivimus. Ubi, postquàm eas per indulgentiam otiorum VESTRORUM oculis pervestigaveritis, aut judicio ingenii Velti, velut alicui Lydio lapidi affricaveritis, hoc unicum à VOBIS mihi donari velim, ne cum rem non probaveritis, conatum damnetis; immò memineritis obsecro, nos esse paratos, simul ac monuerit

quis

## NUNCUPATORIA.

quis meliora, sententiam mutare: Pertinaciam enim pro causa & opinione induere regnūque nobis vi atque factionibus munire haut est nostrum: contrà, ejus Patronos, cane pejus & angue, odimus. Inter seria, jucunda miscuimus, ut Lectores moneamus, paritèrque delectemus. Vitiâ castigavimus, nominibus propriis plerūque pepercimus:

Hunc servare modum novit meus hicce Libellus,

Parcere Personis, dicere de Vitiis.

*Denique*

Quicquid agunt homines, Votum, Timor, Ira, Voluptas,

Gaudia, Discursus, nostri est farrago Libelli.

Hinc, quòd multorum oculorum trabes vellercaverim, & clatulam nonnullorum *Helenam* acutigerim, non sum falsus Vates cum facundia *Cunæana*, certo futurum esse, me in eam tempestatem descensurum, ut plurimi ex Lectoribus ea, quæ neutiquam reprehensione digna sunt insectentur, eorūque ponderi sufflamen injicere moliantur, aut, si nihil incusent, frigidè tamen de illis judicent hercle. Cæterum, longè maxima pars eorum erit, qui hæc ne inspicient quidem, propterea quòd insitâ quadam Animi vesaniâ contra Divi Apostoli monitum, 1 *Tim.* 4: 12. grãde dedecus existimabunt aliquid in HUMANIS à nobis didicisse, & ita malint nescire, quàm à nobis discere. Quorum quidem hominum fastidiosam querimoniam ex-

## EPISTOLA

pugnare nos non laborabimus, nec tales *Mos* meminisse ullius operæ erit, præterire, maximæ humanitatis. Si illis non sim placiturus noscant me nec omnibus scripsisse, paucis Lectoribus, sed eruditis & bonis gaudium fuisse: Non enim ego ventosæ plebis suffragia venor ut à Recto Bonoque recedam. Riserunt & sua Secula *Meonidem*, raræque coronato plausere Theatra *Menandro*. Sed tamen futuris illis vitiligatoribus pro suis insectationibus & odio nostri ac Veritatis, bonam mentem optamus, non solum ut nostris laboribus æquiores sint; sed etiam ut eos intelligere velint. Quid de me judicent, ipsi viderint: sed judicabunt tamen, malignè plerumque & perversè. Ut interea meminerim AMPLISSIMI VIRI VESTRIS occupationibus parcere, neque VESTRA tempora morari, abundè mihi satisfactum erit, si AMPLITUDINIBUS VESTRIS bonam operam me collocasse intellexero. Multum quidem me reperio temerarium quòd incudem malleum acerrimi ingenii VETRI Judicii, subire audeam: Accipite tamen VIRI SUMMI Botrum Hungaricarum nostrarum Uvarum placidè, quem pro nunc, in gratiam seræ posteritatis indelebilis memoriæ, propter Eximiam Virtutem VESTRAM primi omnium, *ni fallimur*, ex illa Natione, nomini VESTRO inscripsimus & puro candidoque pectore repræsentavimus, sicque obtulimus, prævisò hoc, ut sub Patrocinio, VESTROQUE sub Umbraculo ab invidia & maledictorum hominum pestilentibus linguis, ab

## NUNCUPATORIA.

ab Harpyis & fedis tenebrarum volucris, tutus & incolumis defensus maneret, sequentisque nostras fecundiores pitynas: h. est, limatiores lucubrationes ejus integritatis assertrices cum læta cataltrophe exspectaret. Ego interim Supremum Numen devotis sollicitabo precibus, ut VOS VIROS AMPLISSIMOS, Nobilissimos, Magnos Patriæ hujus Felicissimæ Patres, Emeritos & Prudentissimos Gubernatores, Charitatis Familiæ Tutores, diutissimè vivere & Populosissimæ huic Reipublicæ feliciter præesse finat, ad similia bonorum operum exercitia ad ultimum VITÆ fugitivæ halitum accendat, VOBISQUE tandem bonorum operum Immarcescibilem Coronam, VITAM ÆTERNAM gratiosè porigat! V V!

*Dabam è Museo*

*Meo Amstelod.*

*A. 1688. die*

*10. Febr. N. S.*

*Non majori affectu*

*Ethicus, quam omninifia*

AMPLISSIMARUM VESTRARUM  
DOMINATIONUM

*Devotissimus Cultor*

NICOLAUS APÁTI

*Pannoniæ Debrecinensis.*

C U R.

# CURRUS TRIUMPHALIS,

Per

Samuelem Capossium

*Lugdunò Amstelodamum missus,  
Ad vehendum per Orbem Eruditorum Li-  
bellum in lucem editum sub Titulo*

## VITA TRIUMPHANS.

**V** Ade bonis avibus Famæ Quadriga volantis  
Præcípites reparata rotas, vectura TRIUMPHOS,  
Atq; TRIUMPHANTEM (parto Diademate) VITAM,  
VITAM, quæ CURRUS non indiga, sola per Orbem  
Ire queat, virêque suas acquirat eundo;  
Digna TRIUMPHALI tamen (hos quia nacta TRIUMPHOS)  
CURRU, Digna rotis crepitantibus, additò Equorum  
Cursu, quês teretem sonitu quatit ungula Campum.  
Adspicite hanc VITAM, quos VITÆ cura tenere  
Novit, & ingenuæ delectant præmia VITÆ.  
At simul adspicite, hanc qui VITAM monstrat, & Ejus  
Discite quid valeat mens sana in corpore sano.  
Quid valeat pectus, multos docuere sagaci  
Nuper pendentes duodenæ pectore Gemmæ. \*  
Quid valeant humeri docet hic Labor improbus illos  
Queis (præjudiciis abeuntibus) ista sagaces  
Perfringunt oculos.  
Vadite jam Titanis Equi, CURRUMQUE per Auras  
Ducite: rumpe moras felix Auriga: Camænæ  
Accensas præferte Faces: totîque Cohorti  
Vos, individuas comites adjungite, LAUDES.

\* Alluditur ad D. Autoris Opusculum, de preciosis Aharonis  
gemmis conscriptum.

NICOLAI KIS M. TOTFALVSI

Artium Literariorum Magistri

J U B I L U M

Super Pompa Triumphali,

## VITÆ TRIUMPHANTIS

*Nomine, in Mundi conspectum prodeuntis Libel-  
li, Dexteritatem & industriam Aëtoris sui*

Dn. NICOLAI APÁTI

*latè deprædicantis.*



Quandoquidem Vita est supra omnes nobilis  
actus,  
Actûque nobilitans magna Triumphus a-  
mar;  
Quod tractat Vitam, Vitæ tractatque Trium-  
phum

Iste Liber, geminò nobiliseſt Titulò.  
Maxima promittit, quæ ſi modò maxima præſtat,  
Lecturis operæ largum erit hîc pretium.  
Huc ades heus! Vitæ quemcûque cupido beatæ,  
Et tenet excellæ fulgida pompa rotæ;  
Sume, quod offertur, quò gloria tanta paratur:  
Summum dat codex parvulus hicce Bonum.  
Experiare, tuæ quid poſſint promere vires  
Hîc Duce, militiæ ſigna ferente novæ.

Vin.

Vince; sed ut possis, hâc vincere discere palæstrâ:  
Hic animi, hic vires, hic *παινοπλία* datur.  
Vince (*Triumphat* enim nemo, nisi vicerit) hostes,  
Qui infestant *Vitam*, diripiuntque tuam.  
Quanta caterva (vide!) ruit undique, quotque subin-  
In miseram jaciunt tela inimica manus!  
Ipsa malo *natura* tenaciter hæret, & usque  
Ad stygias crasso pondere sidit aquas.  
In se traxit atrox ipso cum semine virus:  
Quæ nisi sanetur, *Vita* perempta cadet.  
Et quantum *Genis* possint faciantque maligni,  
*Prædones Vita*; pagina sacra docet.  
Nempe foveant fermenta mali, variâque subactam  
Ad mortis, *Vitam*, limina fraude trahunt.  
Immundus quid *Mundus* agit? quid degener ætas,  
Ni *Vita* laqueos insidialque struit?  
Blanditiis, simul exemplis ad devia raptam,  
In servitutem trudit agiturque gravem.  
Corrupte vias omnis caro: *sensibus* hauris,  
Quâ te-cunque rotas, nil nisi prava tuis.  
Quidve verat, via quin vestigia visa prementem  
Illis finitimum ducat in exitium?  
Multi etiam, *adversa* properant sub imagine, casus,  
*Fortuna*; *Vitam* depopulare tuam,  
Tristitia parturiunt quot tætus *damna* dolorum?  
Qui mordent, veluti, viscera, viperei.  
Intoleranda movet quoties *injuria* bilem,  
Vindictæque sui prurit ad arma manus?  
*Infansilis* quoties rerum *successibus* icta  
Mens stupet, officio vix satis apta suo?  
Quâm variæ fugunt vitalem è corpore succum  
*Morborum* species, cura laborque simul?  
*Sæva* subit *pestis*, *longè* que nocentior *istis*,  
*Affectus*, in te qui dominando sedent.  
Hi tecum, & secum quot mutua prælia miscant,  
Non horas numero tot tua *Vita* secant.  
Corpore vix animus latitat tremebundus in agro,  
Lutus tam discors antipathia fremit.

Hinc

Hinc *odium*, *livor*, truculentæque murmurat ira;  
Inde *Cupido*, & edax æstuat ignis, *amor*.  
Decoquit hinc *mæror* siccata per ossa medullas;  
Ob nimia inde sinus, *Gaudia*, cordis hiant,  
Mox *desideriis* subeunt *fassidia*: alacri  
*Impavidæ*que animo torpor, inersque *metus*.  
Conflictus miserè talis quatit undique *Vitam*,  
Sive velis *Physicam* sumere, sive *Ethicam*.  
Quæ reliqui affectus incommoda, quantæque gignant,  
Longa foret pro-nunc cuncta referre mora.  
Omnia sunt adversa, bono quæ sunt data: vix est  
Pars in te, pro te quæ sua semper agat.  
Hostis es ipse tibi, præter te cætera quidni?  
Cum quot luctandum est hostibus, inde vides.  
Heu! heu! *Vita* perit distracta tot hostibus: Ergo  
Uttere, quam *APATIUS* fert *NICOLAUS*, opes.  
Excute sollicitâ, quem porrigit, ipse, Libellum,  
Mente, requisitas hinc habiturus opes.  
Omnia, quæis contra hos victoria quæritur hostes.  
Hic Liber exiguo continet arma sinu.  
Cestandique simul tradit feliciter artem,  
Omneque declines quò stratagema modò.  
Hinc etiam accipies ornandæ plurima *Vita*.  
Præcepta, & Leges, & Documenta tuæ.  
*Libertate* tuos modereris qualiter actus,  
*Arbitrio* vivas ut tuus ipse tuò.  
Qualiter affectus rationis sub juga missos,  
Ad bona de pravis flectere retrò queas.  
Qui purus spurcis, quas secum secula sordes  
Hæcce vehunt, mores insiciuntque bonos,  
Integer ire queas, per iter *Virtutis*, ad alstra,  
Et quò difficiles cuique patent aditus:  
Quas *mundus* veneratur *opes*, & inania linquens  
Omnia post tergum, & te super illa ferens:  
*Fortuna* fundens retrò irrita tela, nec ullas  
Illius aspiciens quas vereare minas:  
Nulla perhorrescens subiti discrimina casus;  
Jurgia nec *Fama* propudiosa timens:

Te super *Invidiam* positum cum conscia *Reſſi*  
*Mens*, facili à Linguis vindicet arte malis.  
*Virtutis* patrociniò sic undique fulso  
 Nil exoptati, quod tibi deſit, erit.  
 Quid vetat, ut poſſis propriâ *Virtute* beatum  
 Reddere, quin ſimilem hæc te ratione. Deo?  
 Sibona tanta cupis, multum gratare Libello,  
 Talia quærenti qui tibi monſtrat iter.  
 Quò-te-cum que ſtatu natura aut fata locârunt,  
 Hinc erit officii norma petenda tui.  
 Multa etiam hæc jucunda leges, animique fovendi  
 Pabula, dum ob gravius rædia ſentit onus.  
 Ut tua contentet, quacunque ex parte placendo,  
 Vota, & ſubſtractum jure querare nihil.  
 Tu porro promiſſa Libri ſat præſtita cernes,  
 Dic, Vivat, per quod *Vita Triumphat*, opus,  
 Auctoriſque proba ſtudio, laudaque probatnm;  
 Iplius ut per te ritè *Triumphet* honos.

AMSTELODAMI:

Pag. i

# V I T A TRIUMPHANS,

S I V E

Univerſa Vitæ Humanæ

PERIPHERIA,


Ad Mentem

*Illustris Herois & Philoſophi,*

D. RENATI DES CARTES:

Ex unico Centro deducta.

*ſectio I. De Δόξα Fati breviter everſa.*

1.  Emini ego F. L. vitilitigantium  
 quàm plurimorum mentem;  
 Chymæricam quandam cogita-  
 tionem à longâ tempeſtate ſub  
 Titulo Fati ſubiſſe: Unde Orbi  
 Literario, nullam reverà dari Libertatem; ſed  
 omnia eſſe Fatalia & neceſſaria expreſſè perſua-  
 dere conati ſunt: Quod ipſum, non ita pridem  
 in fureto & ſpinolo ſuo ſcripto Anonymo  
 B. S. in lucem & memoriam revocare; immò  
 in Thronum & Suggeſtum collocare ſtuderat.

A

Ve-

Verum ut putidissimum hocce Azylum, tenebrosissimamque ignarorum Atheorum Spelunca è fundamento corruat, Rectæ Rationis rancinâ: h. e. vero de re ipsâ judicio, ab omni opinionum fuco libero, quamvis breviter; tamen animosè, studioso pectore aggrediemur.

2. *Quid sibi vult Fatum?* Aut est (8.) Res Cogitans: Aut (2.) Extensa: Aut (2.) Compositum ex quid utraq: Aut (7.) Modus utriusque: Aut (7.) Abstractio quædam Mentalis & Generalis ab illis omnibus: Aut 2<sup>o</sup>, talitrum, & bictri, & Chymæricum figmentum.

3. Si (8.) Res Cogitans est; aut est à se, aut ab alio? Si à se, tum est Deus sibi Sufficiens, ut & ἀρκεία, ἀναρκεία, & πᾶρκεία, quæ solius Dei Sufficientiæ competunt: Si ab alio; jam non est Fatum fatans, & prima omnium causa atque ratio.

4. Si (2.) est Res Extensa; aut est à se, aut ab alio: non à se, quia eatenus quatenus est Res Extensa, est res bruta, curæ rerum aliarum, maxime rerum cogitantium non vacans, & sui impotens, per consequens, non potest Fatum illarum esse: Si ab alio, jam non est sui juris.

5. Si (2.) est Compositum quid ex utraq, idem evincetur; nam si à se, quicquid est à se, est Deus Sufficiens sibi, Dominans, statuens ex lubitu: Si ab alio, tum non erit Fatum.

6. Si (7.) est Modus utriusque; Ergo res sunt priores Fato, Fatum pendet ab illis; sed non contrâ: Ergo res poterunt clarè percipi,

con-

concupi & cognosci sine Fato tanquam sine modo; sed non contrâ: Ergo Fatum à rebus fabricabitur indifferenter; nam si aliter, hoc ex alio Fato esset, & sic in infinitum, quod est absurdum.

7. Denique (7.) si est Abstractio Mentalis Fatum, tum Fatum admodum erit angustum; pauci enim dantur Abstractores, qui Fatum eucerent extra tortuosa & sinuosa ipsorum cerebrarum nupiani exstans.

8. Dispositio Naturæ quam allegant, est modus, est effectus Fati, cujus Fati queritur natura & causa? quæ est 2<sup>o</sup> & stultissimum figmentum, atque crassissima cum circa Deum, tum circa res creatas ignorantia, propter quam vitiligatores maleferiati τὸ δόξαν Fati orco dignam invenère. Hujus Fati δόξα est tam putidissima, ut ex ea quam facili negotio, non dari Deum, seu *Atheismus*, exterebrari possit. Dico hujus Fati; nam datur Fatum Christianum; verum sumptum pro Decreto Divino vel Humano, quod est legitimum. Sed ut notari Fati Titulus absolute peremptoriæque pereat, *Laconicè* quasi brevitate, demonstranda nobis incumbit veritas *Existentiæ Dei & Libertatis ejus, & Libertatis in Homine.*

*sectio II. De Existentiæ Dei & Libertati illius, quæ constitit in Indifferentia.*

1. **S**uppono itaque dari Realitates, quæ nullius rationem fugiunt. Realitates istæ;

aut sunt æternum à se & Independentes absolute, aut in tempore ab alio & Dependentes. Realitates æternum à se, & Independentes absolute, includunt notionem Summi Entis, seu Dei Summè Perfecti: Esse enim æternum à se & esse Independentem absolute, est solius Summi Entis, seu, Dei Summè Perfecti prerogativa, quam alteri Realitati in tempore ab alio, & Dependenti tribuere, esset contradictionem mox irremissibiliter implicare: esset enim noëtico Dei & simplici ejus sensui & apprehensioni indelebiliter menti nostræ concreato divinitatis characteri, aut inscripto omnium hominum mentibus divinitatis sensui, cujus sibi quisque ab utero Magister est, & cujus neminem oblivisci natura ipsa patitur, tergiversari; immò eum suffocare. *Calvin. Inst. l. 1. c. 3. §. 1-3.* Ergo illæ Realitates æternum à se & absolute Independentes sunt ipse Deus: Ergo datur Deus Summè Perfectus, à quo debent dependere ceteræ Realitates, Rerum Essentiæ, ut & Aspectabilis Mundi Fabrica. Hæc est via Deum demonstrandi brevissima, si quæ dantur largiores aliæ, referuntur & refunduntur in hujus semitam & semina. *Conf. Sect. V. §. 1.*

2. Hic autem breviter ac tam clarè demonstratus, Realitates æternum in se & à se habens, absolute Independentens, Summè Perfectus Deus, nullo modo potest concipi non Liber, & ad omnia, quæ ipse non sunt liberè se habens, liberè regens, ut illa possit ad libitum omittere vel variare cum sit Summum Ens, & quicquid

sibi

sibi placet Dominus exequens: Ergo vel saltem respectu ejus datur Libertas, *ut liquet*, Indifferens, ipsi cœqualis, & æterna ad omnes Realitates quæ ipse non sunt.

3. Dico æternam & Indifferentem ad omnes Realitates quæ ipse non sunt: Repugnaret enim Dei Libertatem non fuisse Indifferentem ab æterno ad omnia Realia quæ ipse fecit aut unquam fient, cum nullum Bonum vel Verum, nullumve Credendum, vel Faciendum, vel Omittendum fingi & cogitari possit, cujus idea in intellectu divino prius fuerit, quam ejus Libertas se determinarit ad efficiendum ut id tale esset, & ita posset omittere ad libitum, vel variare: Néque hic loquor de prioritate temporis; sed ne quidem prius fruit ordine, vel naturâ, vel ratione ratiocinatâ, *ut vocant*, ita scilicet ut illa boni idea impulerit Deum ad unum potius quàm aliud eligendum. Et ista summa Indifferentia in Deo, summum est ejus omnipotentia argumentum.

4. Unde, sequitur Libertatem illam debere extendi ad omnes Realitates, cum ipse Deus extendatur ad ea omnia, quæ dependent à creatione illius: Dicere enim Deum creâsse omnia Realia, & tamen esse aliquid, quod à Providentia & Libertate ejus non dependet; dicere tantum esset: Deum esse Finitum simul ac Infinitum: Finitum, cum aliquid sit, quod ab illo non pendet, Infinitum, verò, cum potuerit rem hanc Independentem creare, quod implicat, & Deum destruit, ut loquitur *Thomas*

*Aquinas*, & post eum *Magnus Coccejus*, in tract. *De Foed. & Test. Dei*, p. m. 39. Nihil ergo debet contingere, maxime Realitatis, quod deberet subduci ejus rationi.

5. Si verò curiosius attendatur ad ejus imenitatem, cò manifestius fiet, nihil omnino esse posse, quod ab ipso non pendeat; non modò nihil subsistens; sed etiam nullum ordinem, nullam legem, nullamve rationem Veri & Boni, alioqui enim, ut dicebam, non fuisset planè Indifferens ad ea creanda, quæ creavit. *Cartes. Resp. Sext. §. 6. 7. 8. p. m. 160. 161. 162.* Nec debet esse Deus impos voti *Jupiter*, qui non curet minima.

*Nec Deus est noster Parcarum carcere clausus,  
Quale putabatur Stoicus esse Deus.*

Alias fortè indignitates B. S. assereret ex eo, quòd *Jupiter* non curet minima? Quod de *Jove* Gentilium concedo; at de nostro Deo noti sunt Christianorum versiculi:

*Cuncta Deum curare docent Prædicta, probantque  
Lilia, Nix, caprisque Pili, Volucisque,  
Bovisque.*

### Sectio III. De Voluntate Dei Creandi Hominem Liberum.

1. **H**ic autem Deus Summè Perfectus, tantquam Summum Ens, si velit producere extra suam Essentiam sui Imaginem vel Imagines, suam illam Voluntatem executioni mandare poterit prout Omnipotens: Illa autem Volun-

tas non implicat contradictionem, quia nec tollit, nec multiplicat Essentiam divinam, quæ illa semel exstans non sibi sufficeret; sed ponit tantum ejus Imaginem ex libitu, ex hypothesi, si velit; non ex necessitate: Ergo Voluntas illa idealiter vera est, Deus etiam potest illam exequi: Ergo potest Deus ad placitum extra suam Essentiam sui Imaginem vel Imagines ipsum representantes excitare.

2. Idem ille Deus, cum sit Absolutus Liber, ut supra ostenderam, potest se ad omnia quæ ipse non sunt, liberè habere, liberè gerere, ea liberè regere, eadem vel omittere vel variare, ut etiam monueram, Ergo Deus representandus potest producere representandi sui causâ & gratiâ res quæ sint liberæ ad omnia quæ non sunt ipsamet illæ res, sed quæ erga omnes cæteras, vel potius, quæ in regimine & dispositione sui & suarum facultatum erga res cæteras sint liberæ, actus suos suspendant, hoc vel illo modo fluctant: Ergo idea Libertatis etiam creatæ, est possibilis & verissima, siue Libertas creaturæ habet veritatem idealem & essentialem, clarissimam & evidentissimam in primis cognitis fundatam.

3. Idem ille Deus, quamvis sit Liberrimum Agens; tamen veritatum illarum idealium de essentia Libertatis creaturarum veritatem existentie habere; illas verò creaturas ad Imaginem & Similitudinem sui: hoc est Liberas condere, & si non necessariò, debuit, quòd debuit, voluit, postquam voluit, fecit; nam

voluntas Dei eadem est cum actu ejus, *ut supra dixeram*, Ex quibus me unicuique esse evidenter cognosco; Quippe, quamvis ille potuisset me omittere, me incognitum & incogitatum, me nihil linquere, habens ille in se delicias suas: voluit tamen extra se salire, & non ex necessitate; sed quia voluit, voluit me, *me inquam*, & eo ipso in me suas quoque delicias ponere & invenire, is dedit ut id ipsum, quod ille fecit, irrevocabiliter donavit, possim ego recipere; nempe extra delicias, objecta, allectamenta cœtera, omnia, quæ aliunde mihi offerri possent exilire in illum, quia volo illum velle, sine ulla necessitate, vel aliâ cogente causâ quàm quia illum volo, velle & amare, quamquàm possibile esset, ut non modò sine detrimento mei, sed & cum lucro à me posset omitti: Ergo Ego, Tu, & Ille, aspiramus ad Imaginem seu Similitudinem & Imitationem Summi Opificis, ad càmque nos esse Liberos; posse nos & circa illam & maximè circa alia externa, actus nostros atque regimen variare vel suspendere, quæ omnia documenta viva sunt, nos reverà ad Imaginem Pii Opificis esse conditos, nòsque Liberos esse, quæ & ipsa experientia est.

4. Patet verum esse ex Testimonio Sacro Sancto passim in Scriptura Sancta. Ubi non tantùm expressam voluntatem Dei de condendo homine ad Imaginem suam ejusque voluntatis executionem deprehendere possumus: Sed etiam Libertatem in ipso homine cum verbis

ex

expressis, tum infinitis Dei erga hominem agendi modis: Ut sunt Promissa, Minæ, Mandata, Prohibitiones, Hortationes, postulata Precum, Cordis, Obedientiæ Liberæ & non coactæ, & infinita alia, quæ omnia hominem esse Liberum rotundo ore decantant.

5. Patet denique ex Ratiocinatione: h. m. Habeo ideam Libertatis, quæ actus suspendere, determinare & regere hoc vel illo modo potest: Ergo alicubi vel formaliter vel eminenter Libertas existit, nulla enim idea clara simplex atque evidentissima est sine causa ejusmodi: Etenim si quis vellet allegare, quod ejusmodi idea ab ignorantia & præjudiciis procedat, is esset cavillator maximus. Verùm Libertas eminenter haberi non potest, quia ipsa jam est eminentissima; vel quia Libertas eminenter esset Libertas liberrima & incoactissima: quod jam ipsa est: Ergo existit Libertas formaliter, sive, res, in qua est Libertas, cujus ideam habeo, non solum in Deo quem liberè cogito, sed & extra illum in re tam liberè cogitante: Unde concludo causam exemplarem seu ideatum dari in creatura: Ergo res aliqua creata est Libera reverà formaliter vel eminenter: hoc est, etiam formaliter: Nam formale & eminens in Libertate, ut & in Infinito, unum & idem sunt.

6. Clarum est itaque unicuique vel saltem mediocriter attendenti dogma Fati concidisse. Deum Summè Perfectum esse, Libertatem in homine positivè existere, cum Libertas sit Realitas: Ita ut quivis Fatistarum stupidissimus

A 5

Aga

Agas, insensibilis lapis atque idolum, per-  
versissimique ingenii sit oportet instar B. S.  
quem hæc convincere non possunt.

7. Crassissima est omnino Fatilitas igno-  
rantiae conopea, opinionem Libertatis ex præ-  
judiciis & hæc ex ignorantia deducendum, qua-  
si homines vulgò causas Fatales à quibus deter-  
minantur & benedictum progressum earum &  
in infinitum ignorarent. Animadvertat unus  
quisque L.L. num jam nos ex ignorantia, aut  
ex clarissima & invictissima veritatis cognitione  
& luce, veritatem Libertatis Demonstraverim-  
us: Sed ejusmodi Fatilitas dignos esse existi-  
marem, qui stipitibus alligarentur, ibi tam  
diu flagellarentur, donec abiis liberari expostu-  
larent, profiterenturque in flagellantis Arbi-  
trio esse à verberibus desistere.

*Sectio IV. De Libero Homini Arbitrio, quæ  
etiam consistit in Indifferentia.*

1. **Q**UAMVIS Demonstrationem existentiae Li-  
bertatis fusiùs elongare potuissemus; ta-  
men memores suscepti muneris, prolixitati,  
ut &, crisi- bus non necessariis tanquam vitili-  
gantium farraginibus, ne dicam Hippogry-  
phibus & Chymæis consultò superfedebimus:  
nobis enim PLUS ULTRA canenda: Recta  
igitur post prima principia, in manipulum Hu-  
manæ Libertatis demesum, tomicibusque col-  
ligatum, quomodo se habeat? quid valeat?  
quid ferre recuset? fundamento totius VITÆ

no-

nostræ TRIUMPHANTIS in hac tempestate  
civili, illinc, secundariò, tanquam à nobilif-  
sima animæ facultate, à qua omnium in hac Vita  
Perfectionum naturalium possessionis acquisitio  
pendet, petitò: (Tamen NB. Libertatem hanc,  
quam in me modò animadverti, ad omnes co-  
gitationes meas plenipotentia- liter extendi non pos-  
se, utpote, qui multas sentiam pro voluntatis  
meæ Arbitrio in me non excitari. *Infr. Sect. V.*  
§. 2.) Et denique in nativam ejus corruptio-  
nem, motuum anomalorum & Eccentricorum  
fecundissimam Matrem, sacro quòdam cum  
horrore, Metaphysico more penetrabimus:  
Nec non tandem introrsum nos convertemus.  
Omnes autem terminos, quibus utemur, Lecto-  
ri sedulo intelligendos committemus. Pergimus itaque

2. Vera & Individua Libertas, sive Princi-  
pium merè determinans, in hoc Puncto indi-  
visibili consistit, quòd semper determinet, &  
nunquam determinetur, & aliud aliquid di-  
versum admixtum dari nego: Semper determi-  
nat merè, & nunquam sine activitate suâ de-  
terminatur merè; determinat autem Facultates  
voluntatis, cupiditatis, amoris, ut & atten-  
tionis sive intellectus, & similes, earumque  
actus seu applicationes suspendit; ipsa autem ut  
Princeps aut Paterfamilias dirigens & regens, à  
re nulla determinatur & regitur, quare dico nul-  
lam rem in Libertatem agere posse. Facultates  
quocumque modo habeant sese; Libertas tamen  
in omnem æternitatem eadem manebit inflexa: Ita

ut,

ut, in supernaturalibus ne à Deo quidem moveatur intimiùs, nisi quatenus activè determinavit se, ad tradendum Deo se: At ubi illa Deo tradiderit sese, Deus illam vi activâ, quæ ipsam activiorem reddit, imprægnat, quæ supernaturalia, nec hujus loci dico esse.

3. Quòd autem hæcce indivisibilis Libertas eadem semper & æquè Libera perduret *a.* in cælis, *β.* in terra, *γ.* in inferis, *δ.* in probis, *ε.* in vitiosis, *ζ.* in iis, qui se convertunt à malo ad bonum, vel contrà: Ita tamen, ut causam boni ad solum Deum referendam esse; malum verò ad solam hominis culpam inexcusabilem, in sequentibus viritim lustrabo. Dico itaque

4. *a.* Facultas circa Libertatem si in Elemento merè bono, *ut Beati*, sive inter objecta merè luminosa & bona versentur, tunc non equidem terminos istos & objecta ponet vel efficiet Libertas; sed in ejus lubitu erit ad se determinandum modò ad hæc, modò ad illa bona objecta admittenda, modò ad contemplandum, modò ad laudandum Deum, his aut illis modis, quæ omnia infinita sunt, unde replebitur absconditis, ineffabilibusque suavitatibus in sempiternum, & palcetur virtute Dei non Ambrosiâ & Nectare, ut fabulati sunt Ludiones Poëtæ.

5. Si verò *β.* in Elemento mixto sint Facultates, ut hoc in mundo, ubi, sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis; tunc etiam objecta bona aut luminosa non efficiet Libertas, ut somniant & nugantur *Arminiani*; necque mala

mala positione boni destruet; sed determinabit se sive Facultates objectis Elementi sui, vel bonis, vel malis, ad placitum & electionem suam admittendis, modò animadvertatur ex repetita facultatum sensatione & applicatione ad certa objecta, habitus in illis generari, qui totam mentem quasi rapiunt, quin semper perceptioni seu conceptui ejus sese offerunt & aliciunt.

6. Si autem *γ.* in Elemento puri mali & tenebrarum merarum, ut Damnati, sive inter objecta confusa, inordinata, pugnancia, tenebrosa, & agentia sint; tunc etiam illa annihilare aut immutare non poterit Libertas; sunt enim termini; sed actus suos circa illa exercere, modò ad hæc, modò ad illa objecta convertere, determinare, seipsam huic vel illi tradere & quodcunque lubebit Elementi sui aut objectorum suorum admittere & circa illa actus suos exercere.

7. Libera perdurat *δ.* in Probis: postquam enim Probi præparationes tactuum Dei intimorum admisere liberè, à cognitione Veritatis, ab amore Bonitatis divinæ, à vera erga Deum Fidelitate, omnibusque divinis Deliciis avelli non possunt, non quasi ab aliqua vi externa ad hoc cogerentur; sed quòd eis aliò, æternum verti displiceat: nihil etiam est magis impossibile, quàm ut Mens eò flectatur, quò ipsi absolute placet non velle verti: Multoties etiam probantur nonnulli hæc in tempestate, ubi recta sunt illis æterna: mala ex una parte, si Deo velint adhærere, videntur imminencia; allecationes & bona ex altera, si eum deserant proponuntur:

Deest sensus interdum, & gustus bonorum spiritualium, latente fidei tacitâ operatione; & tamen contrâ hæc eligunt Deum gratis vel in mediis tormentis atque reverberatoriis, ut sic suâ VITA TRIUMPHENT. O quantum & quam purè sic datum est Deum amare! Quàm perfectum igitur istud donum! Quàm necessarium omnis Perfectionis fundamentum! Sine quo amor non esset probatus nec purè nobilis.

8. In vitiosis \*. Libertas Libera perdurat; mali enim ex objectorum malorum diversâ præsentia, & ex habitibus facultatum potentissimis diminuere vel amittere Libertatem non possunt; verùm Libertas à Deo Menti semel tributa, per voluntatem suam in determinatione sui ad habitus suos sequendos & non impugnandos permanet, unde mali liberam habent Voluntatem omne consuetum malum amplectendi: Contrâ omne Bonum & Verum odio æterno prosequendi, à quo exercitio ipsis non placebit velle se unquam avertere, quæ voluntas dependet à Libertate eorum.

9. In iis 2. qui se convertunt à malo ad bonum, vel contrâ. Qui malo deditus est hæc in vitâ, vix equidem à peccato ad virtutem deflectit; verùm quando media & motiva, quæ nullis non offert divina Bonitas Libertas præ se videt, convincitur supernaturaliter, & tactus Dei intimos admittit: contrâ verò, cum homo Libertate à Deo donatus, quærendo ratiocinia plurima, deficit à Vero & Bono ad

ma-

malum nihil, tunc defectus suus & diminutio realitatum per vitium, non sunt in Libertatis suæ involuntaria natura; sed in voluntaria deviatione, seu in actuum voluntariorum libera ejaculatione, cæterisque affectibus, motivis, quæ libere se dat; ubi etiam manet Libertas æquè Libera, delicias quærendo in tenebris: *Hinc*, ut malum soli hominis culpæ inexcusabili: *Illinc*, bonum Deo, mediis & motivis succurrenti tribuatur, æquum est; siquidem firmiter asseramus Deum nec permittere nec statuere non-entia: sed sola entia, quæ debuerunt ad ejus Imaginem condi, nec aliter se habere potuere, quæ cum non limitet, ipsa suæ culpâ fiunt id, quod Deus noluit, *vid. infr. Sect. h. §. 34.*

10. Quamvis autem Libertas sit merè determinans, & non determinata; quia tamen non est bruta, nec à perceptione separata, semper perceptiones & ideas, sive luminis & veritatis, sive sensuales, sive confusas, sive qualescunque sint, perceptiones, *inquam*, & ideas consulit, ut Princeps suos Assessores; à quibus tamen diversus manet, semperque sui juris ad determinandum quicquid lubet, & si quando Assessoribus suis assentiri assuevit, sine eorum repugnantia ad disensum non perveniat: Ita Libertas ubi suis Assessoribus & Consiliariis Facultatibus scilicet, ad certa objecta & sensationes determinationem est sæpè largita, Facultates ab iisdem sine ingenti ipsarum repugnantia, laboréque summo ipsis ingratissimo continere

nere non potest, quem laborem ignaræ Facultates sæpè repellunt, unde liberrimè ad interitum à Facultatibus dissimulatum se Libertas determinat, à quo si ad Vitam se determinare velit quamdiu vitalia, luminosa & bona objecta adsunt, se ipsam ad pugnam contra sensationes, allectamenta & consuetudines Facultatum omnimodam determinare necessum est, quæ omnia in doctrina Evangelii egregiè deducuntur. Hic autem obiter notari velim: Quamvis Voluntas quandoque denotet Libertatem, sumpta in cupiditatem, vel desiderium, amorem vel instinctum, &c. Cum Libertate ne confundamus, siquidem perceptio instinctus, motus interni, impetus & similia, è diametro Libertati multoties adversentur, Libertate dissentiente, aliorum inclinante, pugnam Libertatis in affectus, in volentem, in allectamenta & in totos nos ipsos animadvertentes.

11. Libertas hæc tractationi nostræ subjecta, variis pro re nata potest gaudere denominationum Phrasibus, vel *Positiva*, vel *Spontanea*, vel *Negativa*, vel *Directiva*, vel *Privativa*, vel *Admissiva*, vel *Rejective* seu *Non-admissiva*, vel *Infirmata*, vel *Durantis* & *Decrementi expertis*, Omnium maximè & excellentiùs *Indifferentis* aut *Indifferentia*. Omnia itaque hæc assumere, & quam brevissimè pro temporis ratione lucem eis scenerari sequentibus modis contendam.

12. Libertas 1. considerata in ordine ad Deum causam, qui eam constituit, eique donavit vim de suis attributis & actibus ad lubi-  
tum

tum disponendi & facultates determinandi, est quam maximè *Positiva* & Imaginis divinæ primum fundamentum & punctum: Etiam 2. quatenus actus suos Physicos: h. e. determinationes ponit ac regit vñ sibi innatâ per suum placitum, est *Positiva*.

13. Libertas 2. considerata in ordine ad activam determinationem, quatenus 1. ultro se. 2. Facultates animæ, viz. Amorem, Desiderium, aliasve, unde sensus interni sequuntur, inter se ne confundantur determinat, dicitur *Spontanea*.

14. 3. Considerata 1. in ordine ad Deum causam, quatenus est effectus illius, non sui ipsius; nec quæ habet, habet à seipsa primariò & independenter, & etiam quòd non sit Ens Summum, absolutè Independentens & Perfectissimum; sed est capax deficiendi à Verò & Bono, est *Negativa*: Etiam 2. quatenus suspendere potest actus Facultatum, ne suis sensationibus intimis adhæreant, aut in hæc, aut in illa objecta ferantur, est *Negativa*.

15. Considerata 4. in ordine ad Facultates, quas quidem non ponit; verum dirigit, & circa illas actus suos exercet, est *Directiva*.

16. Considerata 5. in ordine ad objecta seu terminos ad quos Facultates suas dirigit, si privativum quid: hoc est, actum Verò & Bono privatum, sine respectu ad Summum Bonum atque Verum involvant, dici consuevit *Privativa*.

17. Eadem 6. respectu objectorum, quæ  
B nec

nec ponere, nec tollere secundum suas realitates; sed in suis Facultatibus admittere potens est, dici meruit *Admissiva*.

18. Quatenus autem 7. objecta, in quæ Facultates converti possent, per suum regimen avertit & rejicit, *Rejektivam* seu *Non-admissivam* audit.

19. Cum autem 8. ex infirmitate ad interitum suum, regimen & jus suum negligere vult, agendo pessime & quasi ronchissando determinat: aut à Facultatum sensationibus & actibus tirelire modulantibus, magis aut minus recipere valentibus, quæ interdum in somnolentis & infantibus planè sopiuntur, deperitur, unde illi vehementer imponitur, *Infirmata* sine metu dicenda est.

20. Quod autem 9. sit individua, semper eodem modo se habens: hoc est, Libera in cælis, in terra, in inferis, in piis, in impiis, in iis qui se convertunt & resipiscunt, & contra, ut hæc superius §. 3. notaveram, quæ sunt è natura illius, ut &, non cessare vel ad momentum ullæque, sin secus periret natura ejus; verum in æternum durare, hinc nomen *Durantis* & *Decrementi expertis*, volupe sibi ducit.

21. Omnium maximè 10. Titulum *Indifferentis* seu *Indifferentiæ*, Libertas sibi ipsi radicatur, cumque suaviatur. Hic jam nos, *Sicelides Musæ paullo majora canamus*. Me non latet F. L. Libertatis Arbitrii Titulum, quot Eruditorum capita, tot sensus ab initio nactum fuisse: Jure an Injuriâ? judicium penes circumspectum Judicem esto. Quidam verò Aucto-

rita.

ritate saltem aut Dignitate non Veritatis: sed Eruditi alicujus moti, quos cæcus amor in eam egit deperiendi phrenesin, ut quicquid illi expuere, hi lingere nulli detrectare, Veritati, sanæque rationi cæcâ obedientiâ, indignaque homine Libero, Philosopho præsertim, Auctoritatis veneratione, pervicaciter, procaciterve contradixere. At me ingenuus profiteor: non esse ex illis inordinatis Eruditorum basiatoribus, neque enim sum peremptoriæ:

*Ullius addictus jurare in verba Magistri;*

Verum Veritatis aculeo convictus, Liberoque Philosophandi privilegio permotus: *Librum enim semper fuit Philosophari*, ut ait Magnus ille Heros, Sanorumque Philosophorum facile Primipilus, Nobilissimus D. *Cartesius*, in Argumento Epistolæ suæ, ad Cla. D. *58*. Quid itaque de dote, vel quasi attributo Libertatis Arbitrii improprie dicto: hoc est, sine quo ipsa intelligi non potest, & quod ipsi est essentialis, radicale, ab ea indissociabile, indivulsum & indivellendum, prout ego persuasus sum deo, sentiam, in sequentibus, animo (quod tamen sine arrogantia & invidia dictum sit) quasi generoso edisserere non verebor. Veruntamen ut non nullis difficultatibus obviam eam, lucis ergo ad posteriora hæc monere velim: Phrasas Indifferentis, Indifferentiæque varios posse recondere sensus.

22. *Primum*, Moralem seu Theologicum, in rebus adiaphoris: hoc est, in rebus sine pec-

cato aut vitio faciendis aut omittendis: Sed mittam Theologicum sensum; tanquam ad sphaeram activitatis nostrae hinc ex professo non pertinentem Theologorum iudicio; periculum enim semper fuit proprio Marte attingere sacra, ut qui in V.F. temerarii tactus poenas luunt.

23. *Secundum*, Logicum, cum denotant mentis fluctuationem, aut fluctuationem, dubitationem & incertitudinem num de hoc, aut de illo iudicio ferendo opus sit: Sed quod haec Indifferentia oriatur ex obscuritate & ignorantia, nihil ad me.

24. *Tertium*, Physicum, cum denotatur habilitas alicujus subjecti ad hoc vel illud, ad hanc vel illam formam recipiendam, viz. in mente, ad hanc vel illam ideam contemplandam, & similia, quae quidem Indifferentia ad meum scopum conferre posset; sed quod in ea spectetur subjectum tanquam materia passiva habens ductilitatem ad hanc aut illam formam recipiendam; an autem a se aut ab alio sit nil curat, recenseo inter sensus minus praecipuos.

25. *Quartum*, Metaphysicum, quâ ratione Indifferentia est principium non necessario alligatum ad determinandum actus suos certo determinatoque consilio aut modo particulari; sed illimitate potest illos hoc, aut alio ex modis infinitis disponere, non dico omittere, *nam naturaliter agat oportet*; sed suspendere & in æquilibrio continere.

26. Ex consideratione horum, via est facilissima

lima D. *Cartesii* cum *Cartesio* conciliandi in *Methodo*. IV. Ubi duos sensus Indifferentiae unâ fidelitâ videtur proferre: Dicit *Indifferentiam infimum gradum Libertatis, & nullam in ea perfectionem; sed defectum*: adde, ex ignorantia & obscuritate. Verum memini me audivisse olim *Debrecini* in Pannonia à Cla. D. *Martino Sylvano* Praeceptore nostro in Philosophicis subtilissimo: *Qui ignorat Cartesium fuisse Logicum adeat ejus Methodum & Meditationes, experietur cum fuisse Logicum*, quod & ipse compertus sum: Unde terminum Indifferentiae ibi sumsisse sensu Logico tanquam Philosophum Prudentissimum atque circumsp. ex iis quae subjungit facile patet: *Eo majores habendas Datori gratias, quo illa amplior est*. Quae iterum sumit Metaphysicè. Si haec solutio à Philosophis ejus communionis non admittatur, haec duo sanè inter se conciliari non poterunt. Unicuique attendenti extra hanc solutionem, reverà ibi, inque illa materia, quam ibi tractat super erit obscuritas.

27. Haec Metaphysica Indifferentia est illa Indifferentia, quam in Libertate Arbitrii Metaphysicè contemplabilem dico, eaque talis, quâ Mens edit actum Positivum, quem potest inhibere & in aliud objectum deflectere, dirigere, si velit, cujus radicem & ortum esse Dei Placitum vecors negaverit. Haec est Realis & Positiva, Mirabilis & Incomprehensibilis illa Dos, quâ Mens nostra insigniter est dotata, quando scilicet ad Imaginem Dei est creata, cujus perfectionis amplitudinem tantam esse di-

xerim, ut Deum majus quid dare potuisset, concipere non valeam, à qua actus proprii *Durabiliter, Illimitatè, Independentè & Indifferentè* promanant.

28. 1. *Durabiliter*: NB. superius §. 4. & seqq. ubi Libertatem Hominis lustraveram, & in omnem, aternitatem quadratè se habituram: hoc est, Liberam Libertate suâ in quocunque statu, Metaphysico misso clarigaveram, nomen Durantis seu Decrementi incapacis, &c. sortiri posse; immò & possidere ostenderam: Dotem ejus indissociabilem, viz. Indifferentiam, expressè non addideram: Jam autem, quòd eadem individua Libertas indifferentiâ dotata sit, & quòd unâ cum suâ Dote à Deo ipsi donatâ, sine omni decremento in æternum perduret, Demonstratum ibo. *Demonstratur*: Summum Ens, ex Libertate sua creavit Imaginem sui, *Secl.* 3. §. 3. ad similitudinem sui: Ergo Perfectiones ipsi competentes debuit; secus enim Similitudo & Imago ejus dici nequivisset; quum autem illius Libertas consistat in Indifferentia, *Secl.* 2. §. 2. 3. debuit etiam hominem modo & gradu ipsi congruo Indifferentem condere, ut sic perfectè eum repræsentare quiret, *Secl.* xv. §. 12. Sin secus? Dei compendium non fuisset, nec dici potuisset. Sed quemadmodum Libertate Indifferenti Deus præluet: Ita homini interest inter cæteras suas perfectiones libertate emicare; tanquam Imaginis divinæ primo fundamento, quæ reverà ex Placito Dei libero, Dote illi insigni

insigni (per quam velut aliquis Princeps, per aliquod SIBBOLETH dignosceretur) insigniter dotari debuit; ad modum Libertatis Dei, Q. E. D. Et quòd Mens habeat potentiam se determinandi sine ulla necessitate ad placitum, sequitur lucidissimè Dotem illam ut Facultatem positivam, in hoc illimitato indivisibili consistentem, nempe: velle & posse velle, omittere vel non omittere, amittere vel admittere quod placet & libet, actu possidere: Ergo verum est eam Indifferentia pollere, Q. E. D.

29. Semel jam hæc Menti & Libertati nostræ à Deo donata Facultas, tanquam Res positiva: hoc est, ipsissima realitas, annihilari nedum cessare ad momentum potest; secus actum esset de ejus indole, & de Libertate, in quam eodem modo semper se habet, & sequeretur è rebus à Deo semel ad durationem æternam positus aliquam perire & in nihilum redire posse, quod apud Sanam Rationem est absurdissimum. Nedum per Deum ipsum hoc fieri potest; *Demonstratur*: Non enim se potest abnegare prout Summum Ens, sibi imponere & contrariari, quod imperfectionem maximam implicat & à Summo Ente & Perfectissimo alienissimum & ejus naturam evertens. Perfectiones divinas apud nos recenscamus, dictum à Deo constantissimo prolatum cum ipsa S. S. viz. *Faciamus Hominem ad Imaginem nostram*: Menti nostræ proponamus: Imaginem cum Imagine conferentes, quantum fieri potest, nec ultra subeamus

*crepidam*, condolemus, ex his quid educatur peccatitemus, luce clariùs meridianâ comperiemus Deum nolle, nec posse, Faciem suam à rebus abscondere, nec recipere spiritum eorum ut conturbentur & expirent. Nec esse hominem, qui mentiatur, aut filium hominis, quem suorum factorum pœniteat; verùm quod dici: exequutioni mancipantem, quod loquitur præstantem, *ut dicitur alicubi*. Quæ assertiones, si in aliqua, in subjecta materia quadrare debent; tanquàm in Imaginis divinæ prima basi, ut, quæ naturam divinam majori adumbrat analogiâ, quàm corporeum quicquam potest: Nec etiam decreescere potest, non enim est corpus ut imminuatur, aut in partes sibi realiter distinctas distribuatur: Sic enim ex *priori*, vita ejus paulatim exspiraret, ex *posteriori*, in supernaturalibus multa absurda sequerentur, quarum recensio non est hujus loci. Si à natura ejus petamus argumentum, idem evincetur: Probavimus superiùs Libertatem determinare semper nunquàm determinari posse, §. 2. eadem, cum Indifferentia conjunctæ competunt propter rationes superiùs expostas: non enim potest necessitari ab aliqua re externa; immò nec à necessitate præscientiæ decreti divini, quæ semper est evitabilis; verùm hæc hic repetere, esset superfluum agere: dico ergo quod è re est, si accideret unquàm ut aliquid vellet Mens alia de causa necessaria, quàm quia ipsi placet id velle, cessaret culpabile, cessaret retributionis jus, & omnia essent modo quodam planè bruto &

Phy-

Physico, in causam necessitatis, hujusmodi unicè refundenda, quæ superiùs luculenter refutavimus. Satis itaque ex hisce patet Libertatem Mentis à Deo Indifferentiâ dotatam sine omni decremento suo manere æternùm durabilem. Q. ex collatione superiorum §. 4. 5. 6. & seqq. ita E. D.

30. 2. *Illimitatè*; Quatenus (Metaphysicè loquor, Theologica hic loci Militi Theologico linquens, ut &, absolutas loquutiones non includens) nulli limites eam arcant, nullum cogitabile fingere queo, quod ejus actum minus liberum reddere posset; quamvis actus suos huc, aut illuc dirigat; terminus tamen ille ita eam non ambit, quin, si illa velit aliò se transportare sine coactione possit, hæc est ejus mirabilis illa incomprehensibilitas unde insequentibus peccati possibilitas ejaculabitur.

31. 3. *Independenter*; Non equidem absolute, quasi esset Sumum Ens, aut vi suâ Liberâ staret per modum *Ethnicorum Veste*, cum reverà tantum vi placiti Dei semel positi omnia hæc sint, *D. Cartes. Epist. 9. I. Volum.* Sed postquàm mens semel à Deo traditum & æternùm donatum recepit, nullâ præterea re indiget ad liberè agendum: ab ulla præterea re non pendet: vim unde pendet, semel datam æternùm habet, nullâ aliâ vi directivâ, movente, incitante, decernente, cogente, opus habet ut agat, *non dico Moraliter bene; sed Physicè Liberè & independenter*: Prout enim Paterfamilias domesticos regit, dirigit, & per illos agit: Ita Liberum

B 5

Ar.

Arbitrium suas Facultates variè pro lubitu excitat, applicat, regit, viz. Desiderium, Intellectum, Voluntatem, Facultates loco motivas, &c. & se-ipsam nulli præter Deum per se & immediatè ex objectis applicat; quia Deus omnia transcendit & penetrat.

32. 4. *Indifferenter*: Quoad regimen & determinationem actuum suorum, perinde enim illi est quantum ad naturam illius, num huc, num illuc, se conserat: nil concipi potest, quod eam magis ad hoc, quam ad illud flectere queat, omnia æquè & indifferenter consistunt cum ejus natura, & ipsa indifferenter cum quibuscumque subsistit, & nullus terminus dari potest, qui ita eam sibi alliceret ut necessariò & indissolubiliter subsisteret cum ea, nec libera maneret; verum cum alicui rei & objecto se adstringit, facit ex Indifferentia sua, ex placito, nec aliam ob causam, quam quòd vult, & quia natura sua est, ut velit, quia vult ex principio interno, sine ulla necessitate & ratione extra se. Non est Indifferens Physicè ad actus producendos sub notione actionis; nam semper animo versat aliquid, volvit & revolvit objecta, quæ ipsi obversantur, & ista negotiatio continua & perpetua, est actio illa necessaria ad quam non est Indifferens. Sed ulteriori Libertatis Indifferentiæ Demonstrationi supersedebimus, cum unusquisque ita eam in se experiatur, ut si seriò attendat, omnia potiùs in dubium, quam ipsam vocabit.

33. At quia superiùs §. 27. Deum majus quid

quid dare potuisse *Indifferentiâ*, concipere non valeam, affirmaverim: Volo ut cum grano salis affirmatio sumatur. Non credo aliquem fore usque adeo fatuum, nugatorem & cavillatorem, ut mihi imputet, me illam pluris æstimare, quam vel Deum ipsum, vel Dei fruitionem & VITAM æternam, quorum respectu non sum comparativè voce usus: Distinguendum itaque est inter bona complementia, objectiva, beatitia, & inter Perfectiones Rei essentielles, inter Facultates vel Principia alicujus Admittentis, vel Preparantis; siquidem hæc sint bona toto genere distincta; locutio mea est de hisce talibus, non de illis: Dabo exemplum, quod L. B. apud se luminet, & L. A. applicet. Si dicerem capacitatem alicujus vasis: i. e. arcæ, esse maximam; mirus esset qui inde concluderet illam à me æstimari arcam præ thesauro immenso, siquidem capacitas illa si suâ culpâ thesauro suo careat, sit immensa boni privatio vel miseria.

34. Hæc Indifferentia est maximum Dei donum; verum quòd non sit à se, non sit Summum Ens, Independens absolutè & Perfectissimum; sed subjectum capax deficienti à Vero & Bono, multas habens Perfectiones; sed non omnes, quas Deus ipse habet; non enim Deus debebat Deum ex mente creata exasciare, hinc est quòd complectatur rationem possibilitatis peccati: Libertas enim cum admittit tactus Dei intimos, benè se res habet, verum cum media & motiva suâ sponte recalcitrat, delicias quærendo in tenebris & in suorum consiliariorum, viz. Facul-

cultatum allectamentis, errat, & peccat, non propter cogitationem Liberam ejusque positionem actualem, quæ à Deo ob solum bonum data sunt, qui ne quidem dici potest eis dedisse potentiam se determinandi ad malum; sed propter absentiam nihili in Mente debiti; ut loquitur alicubi: In suis *Cogitationibus Rationalibus, Subtilissimus Metaphysicus, Cl. D. Petrus Poi- ret, Amicus Noster Singularis*. Cum deberet *in Urin & Thummim* sua: i. e. lucēs & Perfectiones suas sequi, deflectit ad enormitates nihilo longè deteriores, ad cassas imitationes & inania realitatis phantasmata; cujus etiam defectus ratio non est Libertas, *ut & superius monueram*, quatenus à Deo est donata; sed in quantum est à proprio regimine hominis nolentis attendere ad se, ad objecta ipsi proposita, ad officium, ad moralem & ordinatam bonitatem sui regiminis; verum ad alia quæpiam, quia ipsi placet. En Tibi Semen primò primò Peccati primò primi literis istis ad lancem sanctuarii fonticè libratīs, unde Tibi intellectus & Facultatum Humanarum virium confusio & infirmatio constare poterit, & cui statui sis obnoxius luculenter cognoscere poteris: Verum! & hoc Tibi constare poterit, in Tua Libertate esse positum ut moraliter probus aut improbus evadas postquam divina gratia post lapsum Mentem humanam ex suis fasciculis explicat, media & motiva ad bonum proponendo, quæ planè nullis non offert divina bonitas. *Coccej. de Fæd. & Test. C. 7. §. 211.*

35. Satis jam Fundamenti posuimus Milite Fati fuso, Deo & Libertate ejus Indifferenti, & ejus Imaginis, *viz.* Hominis Libertate assertis & adstructis: Proinde quomodo eadem individua Libertas hominis, se habeat in Cœlis, in Terra, in Inferis, &c. in ordine ad perceptiones qualescunque? qualia fortiatur nomina? quo præsertim gaudeat? Num Indifferentia sit Dos ejus insigniter ipsi à Deo tributa? num sit Durabilis? Illimitata? Independens? Indifferens? Quantæque sit? luculenter explicuimus. Causam Boni ad solum Deum; Mali verò ad solam hominis culpam inexcusabilem in locis quàm plurimis deduximus, nec ullibi à temerariis casibus, Fatalibus necessitatibus volutati sumus, ita ut, infelix solium & sterilis avena dici mereretur, qui hæc ex præjudiciis & opinionem horum ex ignorantia nos deduxisse autumaret: Ubi enim alicujus rei clara & distincta est idea exulat illinc ignorantia; nos autem omnium horum habuimus clarum & distinctum conceptum, prout rerum omnium maximè verissimarum, mundi animarum, Menti Philosophanti, ut &, Rectæ Rationi consentanearum; immò ante omnia necessariarum, quas præclara in luce locavimus, quæ promissimus, per mediocritatem nostram præsticimus, quibus si contradicatur, en Tibi cespitatori hoc sequens: Si quis haberet idealem machinam, vel inventionem motus continui clarissimam, ejus fundamenta egregiè deduceret, multisque experimentis deducendo confirma-

ret, ut quicquid de illa sponddisset, & quicquid alii de ea postulare possent, is actu exhiberet, an non fatuus esset qui diceret, hæc omnia falsa & ex ignorantia esse, & experimenta quæ fiunt, non oriri ex illa inventione; sed ex eo, quod Artifex illorum causas ignoret? *Intelligenti satis.* Quæso conf. *Secl. xv. §. 12.*

36. Utilis & Jucunda est Libertatis Arbitrii scientia, immò necessaria; tantus enim est Valor L. A. ut ejus ratione rectoque usu Nos ipsos Imaginem quandam & Similitudinem Dei redolere intelligere: Passionibus generose succensere: Virtutes acquirere & exercere: Summum nobis Bonum, *naturale quod dicitur*, comparare, & ex eo Beatitudinem seu Mentis gaudium & satisfactionem ex possessione Summi Boni resultantem legitimè creare: Munera Hominis in genere, mox boni Civis in Specie, & quid uterque tanquam *Honestum* apprehendere, & quid tanquam *Turpe* omittere secundum naturæ præscripta debeant, insinuare. Contrà per ejus abusum hæc omnia perdere; nos verò reos & infelices reddere, possumus. Tandem ut hoc procatartice addam: Appello ad Sedem Theologicam, ubi etiam, sine ejus facta & integrâ doctrinâ, Totam hominis conversionem: Pœnitentiam: Fidem: Novam Obedientiam: Spiritum gratiæ & precum: Corruptionem humanæ naturæ per peccatum: Beneficia Filii Dei per Spiritum Sanctum: Dona Dei accepta & accipienda, conservata & conservanda, crescentia & deficientia, amissa & quæ amitti possunt, in-

intelligere non valemus. *Zanch. de Lib. Arb. Wilhelm. Momm. Prælect. Varr. p. m. 282.* Ita ut, ex hac tenus dictis quædam ex illis Elogiis L. A. applicare, & tali Encomio merito ornare possimus:

*Ille ego, quæ gestis præsum custodia rebus,  
Digero quod caveas, quòdque sequaris iter.*

*Ut sua virtuti per me sunt præmia: rursum  
Impia famosis defero facta notis.*

*Me sine quis Prudens? Unde experientia major?*

*Qui me adiit, tandem non magis doctus est?*

*Omnis enim nostro pendet Prudentia sensu,  
Riteque nil nostra, qui caret arte, sapit.*

*Seclio V. Ubi Valor L. A. viritum Demonstratur.*

1. **M**ENS Humana quatenus à se nihil est, ad se non est, necque ex se se regenda est, si sit, maneatque, non à se, non ad se, non per se, tunc nihil ponit, se gerit ut nihil, & eatenus nihili, sive sui ipsius, quatenus à se nihil prorsus est, gerit imaginem & nullam habet perfectionem, multò minus Libertatem ut nihil: Verùm quatenus jam à Deo existit, *ponamus illà insciâ*, cum se percipit ex Facultatibus suis ad arbitrium hoc vel illud examinare & inquirere posse, statim ad existentiam sui infallibilem certissimè & necessariò facit consequutionem, unde ipsi M. H. primò-primum scibile, cognitum seu cognoscibile certum & indubium, est non nisi sui ipsius Existentia: Porro per cognitionem eandem actus reflexivi, in-

incipit inquirere in ideas, quæ ipsi obverfantur, ex quibus qualdam dum videt adeo perfectas, quarum principium basis & fundamentum ipsa esse non potest, punctum sibi inhihet, demum ratiocinatur h. v. s. modo ad objectum extra se: Multas inter meas ideas percipio, quas majus objectum principale, quam ego sum debet subire, ergo aliquod Ens perfectius esse debet extra me, Illud autem Ens debet esse Summum, adeoque Liberum; quoniam ideæ istæ sunt tales, quæ nulli alteri, nisi soli tali competere possunt: Debet etiam esse *Res Cogitans*; quoniam istæ ideæ, non aliâ, nisi *Re Cogitante* gaudent: Nec etiam *Cogitans* istud potest esse ab alia Re; quoniam ideæ istæ objecto suo principali majus & superius quid agnoscere non possunt. Iterum reflectitur ad ideas & collationem Liberam facit inter ideas & ideas, *Perfectioribus terminò jam posito*, quas dum videt esse inæquales, insistit Perfectioribus, Perfectissimis Inferioribus, Imperfectissimis superioribus, quas dum animo suo versat, multarum ex illis, se esse sedem, comperit, in quibus videt quædam semina perfectissimis similia, eoque tendentia & aspirantia, omnium maxime, Libertatem suam in suis actionibus; cum autem jam sit conscia suæ ab illo Ente Summo dependentiæ, & quædam semina Perfectiorum illius se redolere, Libertate donatam esse, evidentissimè sine omni exceptione concludit; se ad Imaginem & Similitudinem illius examulfitatam esse, Q. E. D.

2. In

2. In præcedenti *Seç. §. 1.* Libertatem quam in me animadverteram *plenipotentia* ad omnes cogitationes meas non extendi posse notaveram, utpote qui multas pro voluntatis meæ arbitrio in me non excitari sentiam, unde elucescit omnibus Passionibus ex Libertate mea, & nostra, generosè nos succensere non posse; & ob hanc exceptionem non fui superius illiberali stylo usus. Et ut dicendi initium faciam: Dico animadvertendum esse Mentis nostræ cogitationes duum generum esse; quædam enim 1. sunt Actiones animæ, ut sunt omnes nostræ voluntates, quas videmus & experimur directè ab anima nostra venire & ab ea sola dependere: Verum cum ubi sit Actio, necessariò ibi debet concipi Passio; hæc enim simul sunt naturæ; quamvis Agens & Patiens sint sæpenuerò valde diversa, tamen Actio & Passio manent una eademque res, multò magis in mente: Unde, debent concipi ab uno quòque Passiones Menti propriæ ad arbitrium efformatæ: Inter quas Libertas nostra se habet Liberrimè.

3. E contrariò quædam 2. sunt Passiones seu Affectus, quæ sunt species perceptionum sive cognitionum, quæ in nobis reperiuntur, quia sæpè accidit ut anima nostra eas tales non faciat quales sunt, & semper eas recipit ex rebus per illas representatis, ubi Libertas modo & gradu sibi congruo se gerit, nec ultra crepidam. Passiones autem ex his præcipuæ ad quas *plenipotentia* Libertas concretim extendi non potest, sunt 1. Passiones *Lucis, Coloris, Odoris, Soni,*

C

ni,

ni, *Fulguris* & ejusmodi alia, quæ cum à rebus extra me positis proveniant, me invito adesse vel abesse possunt, nec per Libertatem silti aut amoveri si motus adsint aut absint requisiti, aut salutem multum jejune sponte me ad disponi possunt.

4. Iterum 2. *Passiones turbide* ope machinæ corporeæ in Mente excitatæ, viz. *Fames, Sitis, Appetitus, Dolores* & id-genus alia, quæ à peculiari motu spirituum animalium originem suam ducunt, rationi obluantur, modo opposito in Glandulam impingendo, vi suâ animæ effectum impedire moliantur, à Libertate nostra, quatenus jam sunt in activitate sua, operose dependent.

5. Idem 3. *Convulsiones*, ut &, animæ commotiones confusissimæ, quæ quædam Liberas cogitationes non-nunquam ita sequuntur, ut his positis, vix possint illæ non sequi. Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla est, en itaque tibi exemplum in Marito mortem Uxoris suæ lugente, quam ægrè videret restitutam vitam. Contingere potest ut parentatio vivorum luctu honorifico ipsi mortuæ facta: Epitaphia, Monumenta, Cantus Epicediorum; solemnisque recitatio Encomiorum, Reliquiæ mutuorum amorum & confortii privatio cui assueverat, veram in ipso Tristitiam usque ad cordis constructionem & verarum Lachrymarum expressionem excitent; quamvis nihilominus sentiat lætitiā occultam in animi sui penetralibus, quod à tali *Malo Necessario* se liberatum & emancipatum videat, cujus commotio tantum

vi

virium habet ut Tristitia & Lachrymæ, quæ eam comitantur nihil ex ejus viribus imminuere possint. Sic etiam nos diversis Passionibus affectos ex Historiæ alicujus tragicæ representatione sentimus, unde nos quandoque patimur Tristitiam, quandoque Lætitiā, aut Amorem, aut Odium, & in genere omnes Affectus, prout diversa objecta se nostræ imaginationi offerunt: sed insuper clanculum gaudemus quod eos in nobis excitari sentiamus, estque hæc ipsa Voluptas Lætitia intellectualis, quæ æquè facile ex tristitia oriri potest ac ex cæteris omnibus Affectibus, quæ omnia à Libertate Arbitrii frigide dependent.

6. Addidi Tò *plenipotentia*liter, quia aliquando in his; & horum forti similibus contingit, ut ex Libertate antecedentibus sponte ritèque remotis vel positis, removeantur sequentia vel ponantur: Verum ut clarior fiat conceptus Passionum, quibus generose succedere ex Libertate Arbitrii possumus, Definiam illas in genere Passiones h. m. *Sunt Perceptiones, aut sensus, seu, sensationes, aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producantur, conservantur & corroborantur per aliquem motum spirituum.*

7. *Perceptio* est vocabulum generale complectens omnes mentis cogitationes, competens & notioni Passionum; quoniam hæc à me, te, illo, ferme æqualiter percipiuntur, unde sunt è numero perceptionum, quas arctum sedulus, quod intercurrit inter animam & corpus,

reddit confusas & obſcuras : Nomino *ſenſus*, *ſenſu*, *ſenſationes*, quia in anima recipiuntur eodem modo, quo objecta ſenſuum externorum, nec aliter ab ea diſtinguuntur.

8. Dixi *Commotiones animæ*, non ſolùm quia iſtud nomen poteſt tribui omnibus mutationibus, quæ in ipſa fiunt : hoc eſt, omnibus diverſis cogitationibus, quæ ipſi obveniunt : Sed ſpeciatim quia ex omnibus ſpeciebus cogitationum quas habere poteſt, nullæ aliæ eam adeo agitant & quatunt ac iſtæ Paſſiones.

9. Addidi *ſpeciatim referri ad animam*, ad illas diſtinguendum ab aliis ſenſationibus, quæ etiam aliquatenus incurrunt in territorium Paſſionum, ut ſuperius luſtraveram, quarum aliæ referuntur ad objecta externa, ut *Odores*, *Soni*, *Colores*, aliæ ad noſtrum corpus, ut *Fames*, *Sitis*, *Dolores* : Adde quoque eas effici, nutrirī & corroborari per quendam motum ſpirituum, ad eas diſtinguendas à noſtris volitionibus, quæ nominari poſſunt commotiones animæ, quæ ad illam referuntur ; ſed quæ ab ipſamet efficiuntur, ſicut etiam ad explicandam earum ultimam & magis propinquam cauſam, quæ eas ruſus diſtinguit ab aliis ſenſationibus.

10. Ex ſtatim dictis : Ultimam & proximam cauſam Paſſionum animæ eſſe *Agitationem*, quâ ſpiritus movent Glandulam, quæ eſt in medio cerebri, ritè patet ; Verùm id non ſufficit eis à ſe mutuo diſtinguendis : Unde, ſi ratio brevitatīs VITÆ huius TRIUMPHANTIS En-

Enchiridii ſedulò in earum origines inquirere, & primas illarum cauſas ſeriò ventilare permitteret, ſecundùm duas hominis partes duplices inveniremus, quarum aſſertio ex præcedentibus occultis, ex ſequentibus tacitis, circumſpectum Lectorem non fugit.

11. Definitio Paſſionum erat generalis, complectens generalem Paſſionum notionem, & earum aliquatenus, quæ ab extraneo, violentoque impetu ortum ſuum trahere poſſunt, & omnium, quibus Libertati multùm ſejunè intereſſe permiſſum eſt, quarum cauſam ulterius hîc agere, eſſet Tautologiam committere : Porro & earum, quas arcetum fedus animæ & corpori inter-currens, reddit confuſas & obſcuras : Et earum, quarum impreſſiones caſu occurrunt in cerebro, vel fluunt à ſolo corporis temperamento, cujuſmodi ſunt Lætitia aut Triftitia, quarum cauſam quandoque ignoramus, quæ non minùs ſunt Paſſionies veræ, quàm perceptiones quæ pendent à nervis.

12. Quamvis ex prædictis appareat, paſſiones omnes poſſe excitari ab objectis quæ movent ſenſus ; immò ea eſſe illarum præcipua, frequentiora & magis communia principia, quæ nec nego : tamen in ſolidum verum eſſe ambigo : Menſenim Humana, etiam ſolâ ſuâ intelligendi facultate ſe determinat ad hæc, vel illa objecta concipienda, adſtipulantibus pro mea conjectura *D. Cart. Paſſ. Art. LI. Ant. Deuſing. Synopf. Phil. p. m. 381. LE GRAND Inſt. Phil. p. m. 710.* Unde, Paſſiones eſſormare conſue-

vit & proprios quodam modo Affectus obtinet, sapius etiam ex sola opinione Passiones & Affectus piscatur, quibus concitatis necessario corpus movetur, unde, ex earum perceptione, aliquo objecto nos petitos & percitos arbitramur, cum revera ultra praesentiam objectorum haec omnia facta sint: Immo plus affirmare audeo: Nullam Passionem posse inveniri, prout nec ullum peccatum, quae prima sui principia ab Agentis amore non inuarentur. Verum ut aliquid inconcinni ex multiplicibus istis Passionibus ne accidat, Libertas quantum fieri potest anticipat, & Passiones *primario* vel ad hoc, ut malum evitetur, & bonum sequatur: vel *secundario* ad hoc, ut animali bene sit quod Affectu concitatur, dirigit ac determinat: Hic obiter notare possumus Matres omnium Passionum, quae vocari possunt Simples & Primitivae, esse sex; *Admirationem*, *Amorem*, *Odium*, *Cupiditatem*, *Laetitia* & *Mororem*, ceterae particulares ex his constantur.

13. Postquam autem Liberum A. ad hoc sui officii, remis, velis erat intenta, hoc nanciscitur, ut ipsissimae Passiones ultrò conentur dispo-  
nere animam ad virtutes, ad res eas expetendas, quas natura nobis dictae esse utiles, & persistendum in ea voluntate, prout etiam eadem *Agitatio* Mentis & Spirituum, quae solet eas producere, disponit corpus ad motus, qui intervniunt earundem rerum executioni: Haec, hominem in suis Passionibus lapsantem & lapidem

dem insensibilem, non me, qui quotidie D.G. in me exerior fugiunt.

14. Dico *Agitationem* Mentis dispo-  
nere corpus ad motus, qui intervniunt rerum utilium executioni: Liberum Arbitrium ibi venire Agitatione Mentis videnti clarum est, cujus officium erat, actus suspendere, determinare, regere hoc, vel illo modo. Dispositio illa *primario* illi competit: Facultates enim Mentis ab ea determinari plus quam pluries superius inculcavimus, quas dum ita praevio indifferenti rationis iudicio regit ac dirigit, Agitatio spirituum, quae *secundum* locum dispositionis obit, ad obedientiam illi praestandam fonte intendit, non quasi illa, vi Physicà impetuosa in messem huius falcem suam immitteret; verum nexus ille inter Mentem Humanam & spiritus à Pio Opifice miro modo compositus, à Mentis imperio & ejus ratiocinio disponitur & deperitur. *Conf. Sect. VI. §. 2.* adeo ut, crebrum huius exercitium efficiat spiritus ab imperio Libertatis Arbitrii copiose dependere, Regulas rationales sibi praescribendo, ut ad ulteriorem conatum disponendi corpus ad motus, qui intervniunt rerum utilium executioni, spiritibus calcar addat.

*Sectio VI. Ubi adhuc, Valor L. A. continuatur, cum Remediis quibusdam, contra impetum Passionum, excogitatis.*

1. Mens Humana Bene Disposita suae certò conscia Libertatis; conscia VITAE

TRIUMPHANTIS Beatitudinis, quæ à recto affectuum regimine pendet: conscia Possionum indubitato fallacium & in hoc solum tendentium, ut nobis imponant; ulterius suam decenti ordine extendit Auctoritatem & circumspicit, quâ ratione eorum excessus modo & gradu huic VITAE congruo effugere & pravos eorum impetuosisque Usus infringere & declinare, iisque generose succedere & in bonam formam redigere, quidve Utilitatis ex eorum acinis exurgere valeat, Remedia ad Passionum impetus reprimendos excogitat, quæ suis Consiliariis, Facultatibus scilicet, quantum fieri potest intimat, ut Totum Compositum rectè ritèque regi queat, cujus VITA postmodum in hac tempestate civili TRIUMPHARE valeat, quorum Remediorum Generaliora quædam hic examussitare, nobis non erit incautum, quæ calcare, ut in Mundo verè Felix & Beatus reputari queat quis, pæne quotidiano ferme necessaria dicimus. Mens igitur Benè Disposita, Libera, Vero & Bono insistent, Punctum ponit HOC AGE. Rectâ suâ præeundo ratione suadet nobis HOC AGE. Pergit itaque

2. *Primo.* De re quæ ipsi occurrit, cautè & solerter inquirat. Quamdiu Passionis alicujus adesset impulsus, iudicium suspendit, maxime Desiderium velut Passionem particularem & quæ omnibus fere aliis permisceatur intra cancellos, ut mox dicemus, detinet: Si tempus sinat cogitationes divertit, donec tempus & quies commotionem, quæ in sanguine est planè sed-

re-

verint. Dico si tempus sinat; nam si consilium sit in arena, taurino more non præliatur; verum quantum per temporis angustiam fieri potest, rationibus ultrò citròque libratis, iis se applicat, quæ illi persuadere contrarium illius esse faciendum, quod Passio ipsi dicat, memor ejus indubitati, quod Passiones ad nos decipiendos & nostri impositionem tendant. Difficilis labor est fateor superare cursum spirituum in musculos ruere nitentium ad exequendos Passionum nostrarum motus: evademus tamen, si modò Animam nostram iis cogitationibus exsolvere conemur, quæ eos motus comitari solent & non minorem industriam adhibeamus ad cursum eorum detorquendum, quam aliquando in instruendis *Equis*, *Psittacis*, aut *Canibus* nostris adhibemus, cum animalis disciplina consistat in eo solum, quod nostræ industriæ, puta: Verbera, Minæ, Blanditiæ, quibus, à nobis excipiuntur, id efficiant, ut in ea certi motus musculorum jungantur aliis speciebus glandulæ quàm quibus naturaliter juncti sunt: Etenim hoc pacto antiqua vestigia; quæ spiritus animales inter fibras cerebri formantur evanescunt & nova denuò producantur. Hæc dum ita Mens Libera & Benè Disposita proposuit, non differt me in crastinum; sed statim circumagit & in auream Libertatem asserit, unde dicit: HOC AGE.

3. *Secundo.* Quamdiu non ulla Passione agitur se ipsam exercet in considerandis *Bonis* ac *Malis*, quæ toto VITAE nostræ cursu nobis obtingere possunt, justamque eorum pretium

C 5

pon-

ponderat, ut de iis solida deinceps iudicia formare, firmiterque statuere hæc fugere & illa quærere, non obstantibus cogitationibus aut rationibus novis, quas Passiones nostræ nobis suggerere possent, valeamus. Cum autem talibus certis & præmeditatis iudiciis VITÆ nostræ Actiones dirigit & VITAM nostram TRIUMPHARE facit, non est nobis difficile irruentium Affectuum impetus retundere & eorum vires refringere. Dicitamen Te esse debilem & Passionum impulsibus obnoxium: Dico Tibi nullam esse Animarum tam debilem, quæ ubi hanc Mentem Liberam excolere intendit & ejus regimini se tradidit, talibusque cogitationibus incumbere assuevit, ut tandem absolutum in omnes Passiones dominium non adipiscatur. Mens L. B. D. dicit HOC AGE. Suadeo Tibi HOC AGE.

4. *Tertiò.* Conscia Providentiæ divinæ, nobis, Affectus propterea ut *Virtutes* sectemur & opposita eis *Vitia* declinemus, ingenerantis: Ut per debilitatem à Peccato haultam extra oleas ne cursitent, & à recto tramite ne devient, dextrâ, levâque innititur, ut objectum circa quod versari debent legitimum quæratur, cui Passiones proportionari ejusque Lumen in motibus suis sequi possint. Ea etiam est vis Mētis Libero Arb. B. Dispositæ, ut objectorum naturam benè contempletur, modò suspendat, modò determinet, modò regat, & uniuscujusque qualitates percipiat & à cæteris discernat, quâ spartâ cum jam polleat, eam remis, velis, & toto nisu

nisu exornat. Nobis verò his peractis hæcce profuit: HOC AGITE, glatie fractâ viam tutam petite, ut ab errore tuti, & contrâ omnes Passionum deceptiones instructi esse possitis. Praxis erit HOC AGE.

5. *Quartò.* Uni ex Facultatibus suis, viz. Desiderio, frenum injicere laborat; quoniam per cæteros Affectus vagatur & quodam modo cum illis confunditur unde hujus ferociam domare contendit. O nisi Intellectus & Facultatum Humanarum virium, per peccatum confusio & intrinatio constaret, quàm egregium & certissimum documentum hîc notare possemus! Quippe stupendum est, hominem, qui ad veritatem factus est, qui eam in intimis suis gerit, qui undiquaque eâ cinctus est, qui ejus Desiderio ardere dicitur, eâ tamen quicquid conaminis molitur, ferè semper & ubique excidere. Lux in Tenebris lucet & Tenebræ eam non capiunt. Impotentia & Corruptionis Humanæ invictum argumentum! Quantum Desiderii in statu Lapsus in nobis deprehendimus, per quod à recto Veritatis tramite, proh dolor! quantum desciscimus, parùm laboris quandoque quærimus & in Labyrinthum incidimus! Quis ille inter tot homines multitudine innumerabiles adeò fortunatus & Felix, qui potuit boni, Fontem videre lucidum? Quis ille qui optatam veritatem detexerit & invenerit; quamvis multùm Desideraverit? Personam, Virumve si quæras, non unus sese statum indigitabit:

*Me, me adsum qui feci in me convertite visum*  
Sed

Sed omninò talis,

*Incidit in Scyllam, cum vult vitare Carybdin.*

Ex defectuoso enim Ignorantiæ lacu, profilit in profundam Arrogantiæ Abyssum, videri desiderat, audiri gessit, verum Veritatis Desiderium se habuisse effutit: O quantum autem fuit in rebus ejus identidem inane! in quibus ejus Desiderium fuit extra Patriam vagans & in deserto oberrans:

*Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:*

*Disce supercilium deponere, disce cavere*

*Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.*

Verum enimverò, ut hoc in concinnis Menti L. B. D. ne accidat, Desiderium cohibere, modo & gradu huic VITÆ congruo, intendit; distinguendo inter res & res, quarum alias invenit à se non Dependentes, alias Dependentes, alias & à se & ab alio Dependentes. In rebus à se non Dependens animadvertit dominium & potestatem alterius, unde laborat ut ab earum prosecutione abtineat, maximè in rebus divinis, in quibus Deum ad suam tantum Voluntatem attendisse credit, & eas extra territorium suæ Libertatis constitutas esse percipit, ita ut, eas omnes Deum absolutè determinasse, immò determinatè posuisse consideret, & quidem sic, ut ex iis nullæ quanquam minimulæ à nullo alio, nedum Angelo, quàm ab ipso solo qui eas determinatè statuit se positurum, possint alio modo desiderari: Propterea iniqua esse nolens, circa tales res suum Desiderium cohibet: Consideres

deres Aspectabilem Mundi Fabircam, ut Firmamentum cœruleum, stellas fixas, erraticas, ut sunt Planetæ & Cometæ, &c. harum rerum stationis certæ contrarium, non potest à sana Mente Desiderari, quarum quidem futuram mutationem mylticè expectamus, 2 P. 3. 12. 13. Sed à Deo pendet eventus. In rebus etiam humanis Cæsarea, Regia, Principalis Majestates, &c. cum hæc & similia à Deo Misericordie non ab Homine Volente & corrente primariò dependant, turbulenter Desiderari possunt, à pia Mente desiderio alienò; quare occasione talium, toti, ut in supremi Numinis contemplatione maneamus, sana ratio jubet: HOC AGE. Dei enim Providentiâ omnia gubernantur, quæ attentionem nostram, & non Desiderium præceps merentur & exposcunt. Perpendere etiam debemus, maximè in iis nostrum valere Desiderium, quæ Deus in suo Decreto à nostro Libero Arbitrio dependere voluit, in quibus Libertate nostrâ valere possumus, cætera divinæ Libertatis sunt. Cohibe Desiderium: HOC AGE.

6. In rebus à se Dependens versus illas, legitimè sua dirigit Desideria, quæ bono fundamento innituntur & ex Boni perceptione oriuntur, tantumque ad nostri complementum, perfectionemque tendunt, iis nobis satisfacit, unde convenienter naturæ nostræ agit, & Virtutis præcepta sequitur. Praxis erit: HOC AGE.

7. Quantum ad res, quæ partim ab ea, partim ab alio Dependens, cujus modi est Sanctitas, ejusque Conservatio, rerum nostrarum admini-

stratio, Familiæque regimen & similes, ita in iis se gerit, ut eas non nimis avidè appetat, néque etiam ut ullo *Desiderio* afficiatur, cum aliquid potestatis in eas habeat; verùm circa eas *Desideria* nostra moderatur objiciens nobis omnia quæ à nostra Libertate non dependent, Liberi Dei esse, ab eoque dependere *proprie* & primario, secundario & *improprie* à se: Circa hæc & similia versatur quidem Libertas; verùm modo & gradu sibi congruo à Pio Opifice Concesso, quatenus curam habet earum, ut successum habeant felicem & faultum, quod si obtinuimus Libertati nostræ partim gaudemus, sin secus? Contenta est Mens nostra B. D. fideli isthòc Testimonio, quòd scilicet: suo officio satisfecerit, Nihilque eorum omiserit quæ in sua potestate erant: Tandem probè cogitat res eas respectu sui fuisse impossibiles, & quòd successuum Domina non sit, illas ad se propriè non pertinuisse: Sed ad solius Dei Libertatis regimen, quæ omnia, Libera Conscientia decantat, hoc *Perisomatis* efformando: Libertas mea ad Actiones suas tantum, & aliquatenus ad Res, quæ necessariam cum Actionibus istis connexionem habent se extendit, non ad eventus quòque Actionum, siquidem eventus ab externis causis, quæ in illius potestate non sunt, debeant. *Hic notabis:* Fors & Fortunæ sunt, nihil; quamvis Fortuiti & Improvisi Casus dentur. Nam hi dicuntur tales respectu nostri, non Providentiæ.

8. *Quintò.* M. H. L. A. B. D. Generosam se præbet, tanti se pretii æstimando, quanti potest

test legitimè, Actionesque suas hoc pede metiens nihil omittit eorum, quæ facere debet, nihilque se indignum aggreditur aut patrat, animo versans hoc: Nihil ad se propriè pertinere posse, præter Liberam suarum Actionum & Facultatum suspensionem, determinationem, & regimen, in quibus *plenipotentia* se habet, quibus Liberè utitur: i. e. Indifferenter, semper in iis & in earum usu recto, sui compos existens, tametsi indignetur indignè factis & malevolis obloquatur; tamen non stomachatur: Est quidem alicui infensa; sed non infesta, mavult mitis esse quàm trux, benigna quàm dira: Omnes pacare quàm ullum irritare; atque ita cum omnibus concordare & adversus neminem discordare. Modestè se gerit & animadvertit: Nullam rem inter homines æquabilius esse distributam quàm bonam Mentem, ideòque alios non aspernatur, immò facilè sibi persuadet, singulos alios homines idem de seipsis sentire; quoniam in ea nihil est quod ab alio pendeat, quò positò, fit, ut neminem unquam vilipendat, & si quam in aliquibus difficultatem animadvertit, reputat inter infirmitates humanas, unde prior est ad illos excusandos quàm carpandos, & ad sibi persuadendum, eos potius ex notitiæ quàm bonæ voluntatis defectu delinquere; quoniam facilius est id velle quod cognoscitur esse bonum, quàm id cognoscere quod velle debemus: Unde reflectitur ad se & infirmitatem sui cognoscit & reminiscitur factorum suorum, quæ fortè tam gravia fuere delicta quàm aliorum

com-

commiffa; hinc valdè demiffio fe gerit animos corrigi itaque præterita, præfentia regere incipit, cernitque futura, ut ab omnibus Paſſionum perturbationibus maneat libera, & nobis hæc agenda præcipit cum illa Generofitate, quæ eſt omnium Virtutum clavis & quæ Affectibus generofè fuccenſere potens eſt. HOC AGE; nihil enim magis hominem Generoſum decet, quàm honeſta humilitas, quæ, *prout ex dictis liquet*, in hoc puncto Conſiſtit, ut ſeriò naturæ humanæ infirmitates conſideremus, quarum non minorem in nobis quàm in aliis numerum agnoſcamus.

9. *Sextò*. Remedium Generale ultimum & efficaciffimum, maximum, quod excogitare poteſt M. H. L. A. B. D. contrà excuſſiones Paſſionum, eſt *Amor Dei*, quem naturalis cognitio in animis noſtris excitat. Hic Amor eſt Paſſio; ſed Sanctiſſima, mirum dictu, Paſſioni Paſſione fuccenſere: Poſtquàm enim Libertas noſtra Deo ſe commiſit, ab illo quaſi impregnatur & evadit jucundiſſima; immò & vehementiſſima, vi tali, quæ tota ſit *Amor*, per quem nosmetipſos ab aliis Paſſionibus liberare & non modò animi vitia corrigere; ſed & omnium morborum acerbitem, atque hujus VITÆ moleſtias, quæ uniufcuſque conditionem comitantur, tollere poſſumus. Quomodò autem talis *Amor* comparari poſſit, glaciem nobis fregit, Magnus *Carteſius* in Epift. aliqua ad D. *Chañet*, quæ eſt 35. in primo Volum. Quæ hinc tranſcribere avara penna non permittit, quæ tamen omni-

omnium hominum mentibus inſcripta eſſe optarem.

10. Hæc erant *Remedia Generaliora*, quæ Mens H. L. A. à Deo dotata ad repreſſionem Paſſionum inſolentiæ excogitat, quibus, ſemper, ſi VITAM noſtram TRIUMPHARE velimus inſtructi eſſe debemus, eaque ad Praxin revocare; non enim erit Beatus, qui ſcit illa; verùm qui facit, videndum igitur ut non deſcient tantùm verba mea; ſed profiant; non enim quærit ager Medicum eloquentem; ſed ſanantem; quamobrem, errat qui hinc aliquid auxilii ſperat ſi ignoret HOC AGE. Horum ope Magnus ille Sanorum Philoſophorum choriphaeus ad altum iſtud cognitionis falſtium pervenit, quod ipſum hodierno tempore omnium Eruditorum æſtimum fecit, eamque nominis exiſtimationem ipſi peperit, quam omnes furei ſermones, omnesque eorum faſtuoſæ obſectationes, gloriæ & æſtimationi ejus invidentes nunquam extingere poterunt. Talium ipſe cogitationum, maxime ſui Redemptoris ope, quod *Charitate Chriſtianâ ſentio*, eſt in ſedem beatam tranſportatus, ubi nulla calamitas ipſum premit, nulla invidia mordet, nullum odium Theologicum vexat; ſed ubi in ſumma animi tranquillitate & pace fruitur, Deoque ſuo & ejus deliciis deliciatur. *Vid. Fundamentum aſſertionis talis apud D. Petr. Poiret Amicum noſtrum, in Reſp. 7. De Immortalitate Animæ.*

*Sectio VII. Ubi continuatur Valor idem,  
Mente Libertate Benè Dispositâ ex Passio-  
nibus Animi exascente Virtutes.*

1. **P**ostquàm autem Mens Libera, Passio-  
num impetus & absurditates ita infringe-  
re, abusus earum ita declinare, propiùs distan-  
tium irruptiones Remediorum pilis & sarissis  
prohibere, adeoque generosè ipsis succensere  
potis erat, ut altiora adipiscatur, meditatur,  
ex quorum exercitio tandem summâ sui volu-  
ptate fruatur: Nec etiam dubitat quin ob talia  
Itrenua & heroica sua facinora condecorata  
*Summo* tandem *Bono* naturali, *Beatitudine* sui-  
que *Gaudio* & *Satisfactione* ex possessione *Summi Boni*  
resultante, nobilitetur: Non ambigit itaque, non  
etiam vacillat ulterius, non jam in rei clarè & di-  
stinctè perceptæ prosecutione metuit, non jam  
actus suos suspendit, sed rectâ suas Facultates &  
actus determinando ad Virtutes rerum optimas,  
quæ plus eam suis deliciis quàm totius mundi  
gazophylacii thesaurus, perfundunt & dele-  
ctant, suo Instituto & Vigore, firmo & con-  
stanti proposito regit ac dirigit, ratio est & vel-  
le; Beatè enim vivere satagit, nec ampliùs  
Passionum insolentiam formidat, catillo magis  
disciplinæ illis immisissis, opobalsamum earum,  
succum pretiosorem auro eliquandum exspe-  
ctat, in quo nec fallitur augurio spes bona hæc-  
ce suo, conscia ejus, quòd Cornix super pu-  
teo circumdato oras crepidine ultra tolleno-  
nem non cornicetur, nec Sutor ultra crepi-  
dam:

dam: Ita Passiones non ultra limites.

2. Superiùs monueram, quòd Passiones lato  
officio Liberi Arbitrii ultrò conentur animam  
disponere ad Virtutes, ad res bonas & utiles  
expetendas. Si hanc quisquis es Felicitatem vis  
participare, adesto non fucatus, non sciolus,  
non locutulejus, non simulatus, & audies narra-  
tionem rerum præcipuarum; commonstrabo  
enim quomodò hæc fiant, ut habeas gustum  
modernorum meorum promissorum, non obli-  
tus Remediorum præmissorum. In *Reg.* 3. mo-  
nueram, Passiones seu Affectus ad VITÆ  
TRIUMPHANTIS perfectionem & Vir-  
tutum acquisitionem conducere, modò obje-  
ctum circa quod versari debent, legitimum quæ-  
ratur, cui Passiones proportionari possint, & ut  
Rationis Lumen in motibus suis sequi valeant.

3. Sic 1. *Metus* naturâ suâ est Affectus talis,  
qui semper nobis conatur persuadere, id quod  
desideramus non eventurum: At postquàm su-  
mus Mente L. A. B. D. animadvertimus eum  
inservire, ut nihil incircumspectè agamus aut  
temerè aggrediamur, ne præcipitatio Pœniten-  
tiam comitem habeat. Admonet nos, ut tan-  
quàm in præsidio positi, venturis invigilemus,  
& quantum humana finit Providentiâ, omnes  
Fortunæ minas, Hostium conatus, Potèntium  
vires prævideamus, ut sic, *Tela prævisa minis*  
*noceant*. Hæc est illa materia unde extornatur  
*Prudentia*.

4. Sic 2. *Pudor* naturâ suâ super sui ipsius  
amore fundatur, procedens ex opinione vel

metu vituperii, Affectus in ipsorum etiam scelerum, propter malum Poenae, non propter malum Culpa, quod talibus suis commissis Patrem Summum & Creatorem Bonum offenderunt, cordibus residens: At in Mente L. A. B. D. est peccatorum propulsans larissa, odiola reddens quæ delectant vitia, Pietatis erga Deum, Charitatis erga Proximum, industrius cultos, omnis dedecoris, omnisque ignominiae semina, propter Pium Opificem fugans. Honestarum Matronarum castitatis, contra Impudicorum insultus & carnis illecebras, cubicularius: Unde a *Syneſio* apud *Strobaum*, Pudor & Verecundia secundum Hominis Bonum vocati sunt, quod omnes innocentes tueantur, & neminem patiantur non publicè modò; sed & in abditis delinquere: Est materia unde ritè educitur virtus *Temperantia* voluptatibus & cupiditatibus carnis quæ potissimum ad *Tactum* & *Gustum* spectant, propter Timorem Domini, renitens.

5. Sic 3. *Ira* est omnium Passionum urgentissima, & in errorum immensum Labyrinthum, & Abyssum profundam, sui impotes præcipitans, contra delinquentes ulciscendi cupiditate turgens, ex odio diabolico eis diras imprecans, criminantem criminose recriminans, verberantem furiosè reverberare fatagens, seipsam vilium & abjectorum Animorum bili insinuat, interiùs mordet & cruciat, pallore suffundit, quod retracto ad cor calore ultionis se servant, & de vindictæ tempore, alii quæ quæ ad illam conducunt vindictam, circumstantiis cogitent:

Ora

*Ora tument Irâ, nigrescunt sanguine vene,  
Lumina Gorgoneo sævius igne micant.*

Sed apage ejusmodi furias! secus sentit Mens L. A. B. D. Ardorem Iræ temperat & ad Mansuetudinem revocat, seipsam non exasperat, neque etiam alios ad bestialem sævitiam exacerbatur, perpendit quàm aliena sit ab Humanitate ejusmodi Passio, cum oculi flagrant, verba singultiunt, toto ore spargitur rubor, æstuante ab imis præcordiis sanguine. Temperat ajo, & frenum injicit Generosus Animus tali incompetentiæ, & suæ Rationi subjecit, ut utilitatem illinc obtineat:

*Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.*

*Candida Pax homines, trux decet Ira feras.*

Sic se habent Majestates Dei timentes, Cæsares, Reges, Principes, Judices, &c. qui & alteram partem exaudire consueverunt, qui equidem felle non destituuntur, ut planè degenerent in Lenes, Leves & Timidos; verum cum Amore Dei & Charitate erga Proximum Iram suam contemperant, demum fortiter in scelera exasperantur & contra improbos, qui jus temerant & alios contagione inficiunt, commoventur, injurias in Patriam, in Seipsos, Parentes & Amicos illatas propulsant & ulciscuntur, in perduelles animadvertunt & ultimis Sceleribus ultima addunt supplicia: Hæc est Passio ex qua efformatur *Fortitudo* Ethica ad ardua contendens, pericula insequens, mala provocans.

6. Sic 4. *Amoris Cupiditas*, à Morum pra-

D 3

vi-

vitae effervescens, immaturos & bellulos homunculos, cupiditati voluptatum vel opum, vel honorum, vel furtorum: In tetra vitia, hel- luationem, lasciviam, avaritiam, sacrilegium, peculatum, plagium, abigeatum, ambitionem, curiositatem similisque species enormium in- continentiarum: Scientiæ suæ aut genio immo- derato obsecundantes; in Boni Immensi anhelationem, & Infiniti possessionis affectationem vetitam & illegitimam, deducit, ut habemus exempla in *Alexandro M. Cajo Caligula, Nerone*, &c. quos curiositas & *Amoris Cupiditas* eò impulerat, ut appetitione omniscientiæ, Deos se esse putaverint, sicque cum Satana pacisci non veriti fuerint. Talis est *Amoris Cupiditas* in suavitudinibus voluptuantium. Vah propudia! Sunt omnia detestabilia & execra- bilia: At eadem *Amoris Cupiditas*, in sui com- potibus non solum rei absentis quam sibi con- venientem esse judicat præsentiam optat; sed etiam illius quam possidet conservationem: im- mō si intimius reformatam ejus naturam specta- verimus, non minùs mali absentiam anhelat quo caret, quàm illius quod apprehendit in fu- turum posse sibi & aliis contingere. Itaque *Cupi- ditas* hæc *Amoris* legitimi, non solum *Boni* desiderium; sed etiam ipsius *Mali* fugam & a- versionem completur: Sic Fidelis in vera re- ligione constitutus fruitionem Dei cum Sum- ma Beatitudine spirituali tanquam Bonum sibi conveniens & proficuum desiderat, præsen- tēque suam religionem quam colit, tuetur &

con-

conservat, veritus ne aliquid damni patiatur, aut eam linquere per vim adigatur: Unde etiam in rebus desperatis capit ejus arma formido & de Victoribus etiam TRIUMPHAT: Ut Judæi post Bella Pompeji & Victoriæ Titi, Victores suos pressere: Sic loquitur Rutilius de Judæis:

*Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset,  
Pompeji Dellis, Imperioque Titi!*

*Latius excisa Pests contagia serpunt  
Victoresque suos Natio Victa premit.*

7. Deinde, Mali absentiam *Amoris Cupidi- tas* appetebat, unde *Virtus* quædam cæteris omnibus in animo præfulgens quâ Dii ex homi- nibus efficiuntur, quam *Heroicam* appellamus, efflorescere solet: Cujus excellentia consistit in summa quadam & excelsa Animi Cupidi magni- tudine, ac Facultate divinitus peculiari ratione concessa, quibus difficultates maximas & mala ar- dua confidenter aggreditur, constanter sustinet, ac feliciter superat, quæ *Amoris Cupiditas*, tan- tum abest ut vituperio digna æstimetur; quin immō omnium Oratorum linguæ laudes ejus extollendo, vix sufficiant. Qui verò tali virtu- te excellit Divinus appellatur; veluti *Æneis* quasi *Semidii* habebantur Antiquis, seu ex Deo & Homine prognati: Uude de *Hectore* *Homerus* - *nec enim esse putares Mortali genitore satum: at genus esse Deorum.*

8. Hæc Passione *Leonides Rex Spartanorum* ex genere *Hiracidarum*, ut scribit *Diodorus Siculus* impellebatur, quum tenui militum ma- nu,

D 4

nu,

nu, 300 scil. *Xerxen* qui 20000 *Persis* erat stipatus, ausus est aggredi, & cum eo prælium committere, ejus Navibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria vix sufficere videbantur. Ille in *Thermopylarum* angustiis positus, statuit cum 300 illis, oratione suâ corroboratis Militibus, potentissimo obstare exercitui, & omni victoriæ ademptâ spe gloriôsæ morti occumbere: Sic fuit illi dulce pro Bono Publico & Patriâ ad 20000 *Persarum* trucidatis animam exhalare. Hæc confirmant *Herodotus Lib. 7. Plutarchus in Apophteg. Frontinus & alii.*

9. Hæc est illa multifariam & multimodè comprobata Passio, ex cujus penetralibus, pudibilibus feditatibus oppositis, pullulat cœterarum Virtutum splendor & officiorum omnium Radix *Justitia*, prout vel saltem ex illa auro contra æstimatione sententia, in Celeberrima Christianissimæ *Amstelodamensis Reipublicæ* admiranda Curia descripta: *Viz. Audi & alteram partem*: hoc est: Sit in vobis cupiditas aliqua & alteram partem Litigantium audiendi, & sic *Fiat Justitiane Mundus pereat*, satis luculenter efflorescit. En vobis ænigma *Schimschoniano* ænigmati fermè simile: Arrigite quæso aures, hîc enim

—— *Mutato nomine vobis*

*Fabula narratur* ——

Ab edente ferocissimo cibum omnium mundi embammatum opiparissimum protulimus, & ex Acri acerrimo, Dulcedinem saporum gratissimum promptissimus: mirum dictu, mi-

rum

rum & relatu; verum est dignissimum scitu, ex vitiorum silicibus virtutum fomiti scintillas incussimus, Passiones Equos effrânes, contractis habenis, imperio subjecimus, easque in Virtutes convertimus. O quàm jucundum & quàm amœnum fuit per domitos & per perpoliatos supplantatores virtutum acquisivisse cumulum! HOC AGE. O quàm desiderabile fuit ope Affectuum etiam, qui naturâ suâ, sine politurâ brutescissent; Mente ad *Prudentiam*, ad *Temperantiam*, ad *Fortitudinem* & *Justitiam*, Virtutum cardines cum læta catastrophe exultos evasisse, & ita, VITAM nobis TRIUMPHANTEM familiarem acquisivisse. Eja Mortales Virtutum comites ruamus in amplexus fraternos, figamus mutua sinceri amoris oscula, nostrâsque invitatas convivas temporîus advolantes Virtutes, amicâ obviatîone basiemus & excipiamus. Procul hinc, procul este profani & ad nequitiam profligati, rixosi, superbi, invidi, contumaciter in suis propudiis perseverantes & nati ad contentiones & discordias animi, procul hinc, procul este maligni. Virtutes vos poscimus omnes cordati. Venite Virtutes, estote nobis familiares, siquidem vos Vires Vincere valeatis & nullas Vias Invias habeatis.

### Seçtio VIII. De Prudentia.

1. **R**hetor quidam olim erat nomine *Albinius*, in quo reprehensa fuit de omni causa dicendi cupido, quod, non quicquid debe-

D 5

bat

bat dici; sed quicquid poterat effutiebatur. Nos an in hoc toto opere exequuti-simus quæ dici oportebat, aliis judicandum relinquimus: At illud certò scimus, & profiteri non erubescimus, plurima nos in præcedentibus prætermis-  
 sisse quæ dici poterant, & promittimus nos plu-  
 rima prætermisuros in sublequentibus, quæ  
 fortè dici meruissent; verum non est nobis  
 animus omnia, quibus per Philosophiam in-  
 struimur, huic VITÆ TRIUMHAN-  
 TIS Enchiridio intrudere; ista enim excresce-  
 rent in immensum: Præstitère enim ista Eth-  
 icorum Filii ante nos, qui ad vota sua integra  
 Syntagmata conscribilla-vère, quæ si velis com-  
 portare, per nos licet, consule: Néque etiam  
 cordi est, omnia quæ à multis ad ravim & nau-  
 seam dicta sunt, molestissimâ iteratione repe-  
 tere; quamvis mentem aliorum in multis prout  
*Pater ille Eloquentiæ Cicero, Platonem, Cramo-*  
*nem item Panætium* imitatus est, cum charitate  
 sequar; sed res Generaliores, filium nostram  
 cogitationum è re modulantes oportunâ  
 brevitate tangere.

2. In præcedenti Sectione *Prudentiam, Tem-*  
*perantiam Fortitudinem & Justitiam*, quatuor  
 Virtutum Ethicarum cardines, quibus cæteræ  
 sustentantur Virtutes & veluti totidem rami ex  
 ipsis exsurgunt è profundo acquisiveram, jam  
 eisdem exhaustas ordine assumendo ad Cataty-  
 posin lustrabo & exercebo, cæteras particula-  
 res Virtutes more Ethico, ut monueram, non  
 comportabo, sufficiat quatuor illarum tracta-  
 tio,

tio; Virtutes enim Morales individua sunt &  
 ita inter se nexæ, ut qui unam reverà habuerit,  
 cæteras habere necesse dicatur. Virtutes mu-  
 tuum auxilium sibi præstant, & aliæ aliis per-  
 fectionem quandam adjungunt, adeò ut fieri  
 non possit, qui *Prudens* est, non sit quoque *For-*  
*tis & Temperans & Justus*; nullæ enim citra Pru-  
 dentiam dantur Virtutes; immò in ea omnes  
 cæteræ copulantur, concentrantur & conve-  
 niunt: Virtutes exequuntur quæ *Prudentia* secun-  
 dùm Rectæ Rationis normam præscribit, & ita  
 inter se conjunguntur quòd sanè in uno tertio  
 conveniant; quæ autem in uno tertio conve-  
 niunt, eadem inter se convenire necessum est:  
 Tamen solius Prudentiæ tractatione non con-  
 tentus tres posteriores cum suis appendicibus ad-  
 metiar. Quid autem de *Mediocritate* sentiam,  
 unâ voce expendam, nec in sequentibus immo-  
 rabor: Dico *Mediocritatem Affectuum*, non  
 Virtutis formam esse, & eam haberi posse,  
 etiam si illi de medio tollerentur. Nam quæ ex-  
 trema inter duos illos Affectus *Misericordiæ &*  
*Benevolentie* assignari poterunt; quum hi Af-  
 fectus quocumque in statu considerentur, sem-  
 per boni sint, & non minùs remissi, quàm  
 intensi Virtutis rationem participant? Sic *Justi-*  
*tia* non media est inter Affectus, sed sola *Injusti-*  
*tia* in defectu *Justitie* opponitur. Quæ medio-  
 critas Passionibus ipsis, viz. *Odio, Invidia,*  
*Superbia* sub esse poterit, quum, quoquomo-  
 dò temperentur aliquid vitiosi semper redolent  
 & sunt semper steriles Virtutum procreanda-  
 rum?

rum? Sic *Amor*, quo Deum amamus, *Mæror* quo peccata detestamur, cum nullos limites habeant: ille infinito modo ad Deum dirigatur: hic ad sui nihilum descendat, quomodo ad Mediocritatem redigatur. Absit tamen ut inficiar, multas Virtutes inter duo Vitia residere, quum constet *Liberalitatem* à duobus vitiis *Avaritiâ* scilicet & *Prodigalitate* stipari: *Magnificentiam* esse inter *Parcitatem* & *Sumptuositatem* mediam: Ad veram *Fortitudinem* requiri ut æquo passu ab *Ignavia* & *Audacia* distet: *Temperantiam* inter nullius *Voluptatis* sensum, & *Intemperantiam*: *Modestiam* inter *Honoris incuriam*, & *Ambitionem*. Sed solum interre contendendo, illam *Mediocris* ad Virtutis rationem non pertinere, & nullo pacto dici posse, illius esse formam, ut receptum est inter *Aristotelis* discipulos.

3. Prima Virtutum Cardinalium erat *Prudentia*, Græcis *Φρόνησις*, quâ firmam & constantem, habemus voluntatem ea omnia, quæ optima sunt rectè, ritèque dispiciendi & solerter examinandi. A *Pythagoreis* Mater omnium Virtutum, & à *Platone* oculus Virtutum nuncupata.

4. Objecta habet duplicia 1. *Communia*, viz. ea omnia, quæ secundum Rectam Rationem debent peragi, 2. *Singularia*, prout in unoquoque homine spectatur, & catenus circa particularia versatur, quæ esse possunt, & non esse, vel uno aut altero modo contingere, est ergo *Prudentia* quædam Cognitio circa res con-

tin-

tingentes, quæ non quoad superficiem tantum, sed & quoad earum existentiam versatiles sunt.

5. Partes *Prudentiæ*, ut & cæterarum Virtutum Moralium, sunt tres 1. *Constituentes*. 2. *Potentiales*, 3. *Subiectivæ*. Partes 1. *Prudentium* constituentes sunt 1. Scire Leges Naturæ secundum quas vivendum est, quæ sunt Expressiones divini Legi, quam Deus ipse Mentibus nostris iniecit, ad discernendum quod naturæ suæ Bonum & faciendum; vel Malum & fugiendum, sit. 2. Easdem Leges inter se conferre & secundum rationes earum nos ipsos dirigere & disporre. 3. Habere rationem circumstantiarum, puta: Loci, Temporis, Occasionis & Personarum in agendo. 4. Finem ultimum respicere, cumque Finitis seu Mediis legitimis procurare.

6. Causæ Ministræ *Prudentiæ* possunt esse octo. a. Ad consultationem duo, ut sunt, *Docilitas* & *Solertia*. *Ista* est quædam animi promptitudo, ad ea discenda, quæ ignorantur, & habet aviditatem quotidie aliquid novi rescindi ac addiscendi: Hominem enim Prudentem decet multa callere, ut rebus noscat uti, & Honestum à Jucundo & Utili distinguere, & si quæ non assequatur, oportet ut se Docilem ostendat in aliis audiendis, vel eorum scriptis evolvendis, sic tandem audiet Integer & Sincerus. *Solertia*, est Perfectio quædam Mentis, quâ Vir Prudens Media excogitat ad Finem à se propositum assequendum aptissima: Non multum abluat à Sagaci.

Sagacitate Rationis, quâ Anima disponitur ad ea expiscanda, quæ occultantur, & vias illas detegendas, quæ non faciliè in re obtinenda occurrunt.

7. Causæ iterùm Adjuvantes Prudentiam sunt 6. Ad Decernendum seu Judicium ferendum tria, ut sunt, *Ratio, Intelligentia & Memoria*; *Illa* est rectus usus Facultatis cognoscitivæ, cum Vir Prudens ex illis quæ præcognovit axiomata format & quid factio opus sit, colligit & judicat: *Ista* est rerum agendarum cognitio, quâ de rebus, quæ se offerunt, rectè percipitur ac judicatur: *Hæc* est Facultas Mentis, icones pro futuro recondens & pro occasione depromens, seu quod idem est, præterita recolit, & facta quædam, eventusque speciales subministrat, è quibus tanquàm præmissis, quid de futuro concludendum, aut statuendum sit, intelligitur.

8. Requisita & Adjumenta iterùm ad Prudentiam sunt 7. Ad Imperium adhibendum tria, ut sunt, *Providentia, Circumspectio & Cautio*: *Illa* est Virtus, quæ efficit ut Vir Prudens de rebus futuris diligenter cogitet, & ex iis, quæ jam præterita sunt, Imperium ferat, conformiter ad ea, quæ ventura rectè prævidit: *Ista* est Facultas Animi, quâ circumstantiis negotiorum strenuè, diligentèrque attenditur: *Hæc* est Virtus, quâ obstacula, quæ finis propositi obtentioni impedimento essent, removen-  
tur.

9. Sicut tria sunt Prudentiæ munera, *Inquisitio*  
viz.

viz. Mediorum, *Judicium* de iisdem & *Imperium* seu Perceptio, ea quæ judicata sunt, efficiendi: Ita tres sunt Prudentiæ Actus, *Eubulia* viz. *Synesis & Gnomon*, qui Actus solent enumerari pro Partibus Prudentiæ Potentialibus. 1. *Eubulia*; est optima deliberandi ratio de iis, quæ ad invenienda media pertinent. 2. *Synesis*, est distincta in judicando cognitio, quæ ad benè decernendum & statuendum spectant, de iis, quæ Lege aliquâ decreta sunt. 3. *Gnomon*, est sententia ad ferendum judicium, de iis, quæ Lege aliquâ definita sunt; & tamen in praxim veniunt, in quibus difficultas maxima occurrit.

10. Prudentiæ Partes Subjectivæ sunt quatuor. a. *Politica*, quæ versatur in Gentibus, Provinciis, Civitatibus s. Rebusp. regendis ac administrandis: Magni enim interest, ut qui suprà multitudinis caput erectus est, Virtute emineat, & Monitis & Exemplis generosè præeat; Regis enim ad exemplum totus componitur orbis.

Et

*Rusticus Agricolam, Miles fera bella gerentem,*

*Rectorem dubiæ Navita puppis amat:*

*Sic Doctis Doctique favent.*

A criminibus abstineat, & ne placeat illi otioso esse, aut in Subditos iniquo: Non tam Vultus severitate quàm Morum rectitudine Majestatem suam præferat, neminem opprimat, quid sibi non vult fieri, alteri ne faciat. Si quos autem sub Territorio suo, præsertim in casu necessitatis expilaverit, *Jure Mundi*, tenetur repetundarum.

darum. Meticulositatem abigat. Pietate, erga Deum, Charitate erga Proximum & in omnibus fide præluceat. Verbis verax, Factis æquus, & Legum quas condidit non tam exactione quàm observatione proficius audiat, *Cato esse, quàm Videri probus malebat*, de quo cum verissimè scriptum sit: Optimus Senator; Optimus Orator; Optimus Imperator; Gloriæ de Hispania TRIUMPHATOR, tandem probitatis & laudis ad cumulum illud est additum, sine æmulo sive sine exemplo sui temporis Agricola & Arator: Ille enim manibus TRIUMPHALIBUS ex æquitate & probitate sua agros coluit, semina tractavit, arbusa disposuit, inque agris colendis altum locum hic *Cato Censorius* tenuit, sollicitare atque hortari boves non erubuit. Cujus os tot magnos exercitus in prælium accendit, tot ancipites causas disertissimè peroravit; rastrum atque aratrum alloqui non fastidit, mox illa TRIUMPHALI ac Philosophicâ manu attingit, quæ insignes de tot hostibus victorias peperit, tot de rebus optimis sive ad Philosophiam sive ad Historiam sive ad usum VITÆ spectantibus, præclaros libros scripsit, agrorum pulcritudine & amœnis viridariis deliciatur: quid nî, est enim pulcerrimi operis pulchra portio: Natura enim dedit agros, Ars humana edificavit urbes. Est sanè exemplum à Potentibus memoriâ tenendum, quos cæcus amor subinde in eam agit Superbiæ phrenesin, ut delectentur circumstantiâ turbæ servorum, ad quos passendos terrarum longè distitarum & transmarinarum

narum regionum est optanda fertilitas; quorum dominio ager integer, qui populum cœpit, angustus est, Leges terunt, non observant: Ædificant Basilicas: Quid prodestis? In una jacetis: non est vestrum ubicunque non estis.

11. Jus semper Summum est, nec divelli à Potestate Summa potest, ergo memor sit Justitiæ quòd illa supra ejus diademata sedeat: Optime monet *Claudianus* alicubi:

*Tu Civem, Patrémque geras, Tu consule cunctis,  
Nec Tibi: nec Tua Te moveant; sed Publica vota.  
In commune jubes si quod, Censésque tenendum,  
Primus jura subi: Tunc obsequenior equi  
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum  
Auctorem parere sibi. Componitur orbis  
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus  
Humanos edicta volent, ut VITA Regent s.  
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

12. Principem ne pudeat imitari *Mosē*, & cum eo Quætionem Juris ab Exercitio, ab Exercendi Modo & Prudentiâ distinguere: quæ qui accuratè discriminare nescit, non est ut unquam rectè ratiocinari possit, qui novit, vix est ut unquam malè possit. Erat *Mos* Juris dicendi facultas, quod Jus certè summum est: erat penes ipsum Exercitium ex Exercendi Modus, & omnis de Prudentiâ deliberatio & definitio. Jus, ipsa facultas est: Exercitium, ipse Juris explicandi actus: Modus, sive per se vel per Synagogam, vel si mavis, Senatum, vel per alios exerceret: nèque enim per se semper exercuit: Judices dedit monente Socero suo *Jethro*, deinde Senatum

instituit. *Prudentiâ*, si utiliter cum bono Publico exerceatur: eâ *Moses* usus cum solus iudiciis impar sibi videretur. Eadem in Jure Belli, Pacis, Federum, Tribunalium, & aliis sit distinctio: néque de *Jure* disceptatio cum *Exercitio*, cum *Modo Juris Exercendi*, vel *Utilitatis* quæstione est confundenda: Hæc sunt imitanda Principi; sunt enim Politica Prudentia. Omnis honos est onus: Mirum est talia esse officia, cum reverâ negotia sint maxima.

13. *Administratores* suis debet invigilare, ut Magistratus suis debite fungantur muneribus, ut *Judicibus* Honor, *Legibus* veneratio, & *Sibi* mixtus Timor Amor habeatur: Tandem incipiet laudari ab omnibus, honore suspicietur, virtute cantabitur, cum eo, de quo *Vell. Patercul. Histor. Rom. L. 2. p. m. 323. 324.* Hoc est ex bonis Avibus natum Caput illud, sub quo, revocata in forum Fides, summotæ foro seditio, ambitio campo, discordia curiâ, sepulcræque ac situ obsitæ: Justitia, Æquitas, Industria Civitati redditæ; Accessit Magistratibus auctoritas, Senatui Majestas, judicii gravitas, compressa theatralis Seditio, recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. Honorantur recta, prava puniuntur. Suspiciat Potentem humilis, non timet. Antecedit non contemnit humiliorem Potens. Hæc sunt, & alia quàm plurima, quæ Politica parturit Prudentia. Sin minus Ignavus audiat cum isto Princeps:

*Vivere si recte nescis, decede peritis.*  
*Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti:*  
*Tempus abire tibi est.*

14. *B. Militaris*, quæ ad Castrorum, Exercituumque Duces spectat, eos informando quomodo sese in bello gerendo habeant, non temere bellum suscipiant, Pace magis per Caduceatorem aut Legatos optandâ. Imbellem bellicoso, inexercitatum exercitato ne objiciant. Si tamen minax hostis pacificationem renuat, fecialique misso clariget: Supremo Numine invocato: Animo Militum corroborato per exemplum Leonides: (qui Oratione suâ ita animos 300. Militum firmaverat ut initio statim animo parati ad moriendum pro Patria essent:) jacienda incumbit alea.

15. Belligerendi necessaria Prudenter adhibenda, *Primò*, Discordia s. Bellum intestinum eradicandum ut inter se greges convenire valeant; tunc enim bene & strenue res peragi possunt: Sumtò exemplū à Romanis: Qui quemadmodum Vespæ, cum ab Apibus non impugnantur locordia atque ignavia se se dedunt, inter se dissident, Pater, Plébsque: id est, Rex s. Princeps Vespæ cum examine suo, longo otio & dissidio vel somno pereunt, atque moriuntur; verum cum sunt in vigore virium, quotiens illis cum Apibus, quarum lutea corpora sunt bellum gerendum est, vim & tela sua: i. e. aculeos exerunt concordēs & unanimes, in arcæque monetaria, furva & fuligine obsita nificuntur: Sic Romani pacis tempore, aut bello

Civili agitantur, aut mascula illa, quâ præditi sunt virtute, animositas, inertia temporum fermè extinguitur: ac tempore belli, vim suam probant & in commune consulunt, discordiam everruncant: *ut Sulpitia in suis Satyr. p. m. 141. his versibus exponit.*

*Convenit ut Vespis, quarum domus arce moneta*

*Furva. Rigent strictis per lutea corpora telis:*

*Ast ubi Apes Secura redit, oblita favorum*

*Plebs, Patrèsq; una somno moriuntur obeso.*

16. *Secundò*, deligantur viri strenui & per Diribitores exercitati, maximè laborum patientes. *Tertiò*, Debent instrui alii levi, alii gravi armaturâ: ut valeant & sese defendere, & hostem animosè impetere.

17. *Quartò*, Commeatus & dapfiles sumptus, nec non nervum Belli pecuniam preparare, itaque in promptu habere: Sæpius enim contingit ut propter penuriam horum fermè inviolabilia, celsa, munita, impensa, aut immensa, invicta aut inexpugnabilia Castella & Arces violentur, infirmentur, infringantur, subruantur, atterantur, vastentur, excindantur, & aboleantur; propter defectum verò pecuniæ Milites à Latrociniis impediri nequeunt, nec in officio contineri: ut documento sunt tot Respublicæ Christianissimæ, Urbes, Pagi, ipsique Regnantes cum suis innumeris Exercitibus: Maximè moderna Vastitudo & probrosa ruina nunquam satis deplorandæ nostræ *Hungariæ*: O utinam hæc opprobria nostri Generis, disperditioque *Pannoniæ*

*nonia cum Bellis ejus obsolescerent! Tunc gemere aërea cessaret Turtur ab ulmo.*

18. *7. Oeconomica*, quæ negotia domestica moderatur, *primò* admonet, ne quis temerariò vel clandestinò capistrum connubiale adeat vel subeat, ut sui facti olim illum ne pœniteat. *Prudenter* itaque agendum; nam qui benè ligat, benè solvit. Prudentiâ & Arte debent venire omnia: ut enim

*Arte citæ veloque rates, remòque moventur:*

*Arte leves currus: Arte regendus Amor.*

Si verò quis ex præmissis his, *viz.* Ars longa: VITA brevis: Experientia fallax, Concludat: Ergo Uxor est ducenda. Ducat per nos licet, & figenti oscula figat, tantummodò ipsi par sit, seriò circumspiciat: Multis enim duos tantum dies cum Uxore fuisse jucundos clamat experientia: *Unum* quo ducta est, *Alium* quo mortua elata est. Nec etiam verum est, Artem longam: VITAM brevem; Experientiam fallacem esse. *Illa*, si labores, brevis: *Istâ*, si ficias uti, longa: *Hanc*, si cum Rectâ Ratione sequaris, certissima, erit. Ducatur tamen Uxor *E RE*: i. e. Non tam Corporis, quàm Animi donis commendabilis, non recalcitrans, nec cui sua Phantasia & Voluntas immatura fiat *TOTUM FAC*, & domi pro rerum agendarum Ratione, Normâ & Lege, pertinaciter fiat:

*Fac timeat, speretque simul, quotiesque remittes,*

*Spesque magis veniat certa, minorque metus.*

Postquàm eam duxerit, non ut Amicam; sed ut Conjugem habeat, si de silentio ejus conlitterit,

terit, arcanorum etiam participem faciat, ne se negligi sentiat, & domesticæ rei curam abjiciat: Non tamen secreta ultra crepidam illi indicenda & revelanda, Vid. inf. *Secl. XXI. §. 25.* Prudenter Liberi educandi, Ministrantes in officio detinendi, *Vid. inf. ubi ex professo quasi, de his agitur, Secl. XXII. Secl. XXIII.*

19. *2. Privata*, quæ ad quemcunque hominem pertinet sive seipsum regere satagat, sive aliis præeat *Prudentem* esse oportet. Talis Prudentiæ duo sunt munera. *Primum*, Ut quisque Indolem suam consulat & secundum naturæ suæ dotes, statum deligat suis moribus commodum, in quo per totam VITAM perseverandi sit animus: Benè monet ille,

*Disce aliquid; nam cum subito Fortuna recedit,*

*Ars remanet Vitamque Tuam non deseret unquam.*

*Secundum*, Ut prævio indifferentis rationis iudicio seipsum ad actionem, actionisque modum ac gradum determinet, & in Propositis servandis, ubi de bonitate illorum constiterit, firmus sit: Præcipua enim humanæ Beatitudinis pars est; Constante agere, & nunquam à recto Virtutis tramite, *quem ita deprehendimus*, declinare. Nec sit curiosus de multis non necessariis, ne pœnitentiam, aut perniciem, aut viscum ex suis baccis juniperinis pullulascit & cacet cum illo, *si benè sim memor*, nomine *Functio*, qui in Threatro mortis suæ inhonestæ hæcce cantabat:

*Disce*

*Disce meo exemplo mandato munere fungi,*  
*Et fuge ceu pestem tui πολυπραγμοσύνη.*

### *Seclio IX. De Temperantia.*

1. *Aspèctasti Prudentiam*: superest ut Tibi ostendam *σωφροσύνη Temperantiam* Prudentiæ vicinam; immò conservatricem: Ain? Ecquæ illa? Dico: Temperantia, quæ est Rationis moderatio, Mentis in omnes Passiones Imperium; præstius tamen accepta, est Voluptatum illarum cohibitio, quæ ad *Gustum & Tactum* pertinent: Unde *Temperantiam* animadverte esse constantem & firmam voluntatem Voluptatibus & Cupiditatibus corporis resistenti quæ potissimum ad *Gustum & Tactum*, maxime ad *Venerem in Tactu* spectant, Circa Visum, Auditum & Odoratum improprie & per accidens versatur; quamvis & isti sensus aliquomodo sint Tactus, unde si criticarem sensum externum unum saltem, viz. Tactum affirmare auderemus.

2. *Partes Temperantiam constituentes sunt, Honestas & Verecundia*, vulgò Subjectivæ audiunt. Micat quidam *Honos in Temperantia*, qui homines suâ specie allicit, & armat contra blanditias Voluptatis impudicas. Cui ancillares operas suppeditat *Verecundia* Virtutum *Custos*, puta, Timorem Infamiæ, & Animi Formidinem, ne uredo Voluptatum pinnaculum Famæ rubigine adurat.

3. *Species Temperantiae sunt, Sobrietas & Castitas*, Illa circa VICTUM, Hac circa puritatem

E 4

PER-

PERSONÆ conservandam, quoad illa, quæ spectant generationem, occupatur. Illa nos docet Sanitati providere, amissas vires restaurare, & pacatis inter se humoribus, Rationi Passionibus facili subicere: Quare ad moderationem ciborum Appetitus assuescendus est, si in corpore sano mentem sanam habere velimus; Natura enim Matrum benignissima paucis est contenta. Vide Epulones & Glutones vorando sua absumunt: Gulosi & Lurcones quotidie se ingurgitant, ac insatrabiles pantices effarciendo sua hæredia decoquunt: inebriati verò brutè debachantur:

*Quid non ebrietas designat? operta recludit:*

*Spes jubet esse ratas: In prælia trudit inermes.*

Quid præterea? vociferantur liberè; verum si audires mirè ac stolidè; putant enim verum esse:

*Si bibo bis veltet sum quâlibet Arte Magister.*

*Garrire incipiunt & ab Hoc, & ab Hac, & ab Illa.*

O miseros homunculos! quos tandem tremor, vertigo, artritidis & alii dolorifici morbi devexant, exturbantque eos cruciabiliter è VITA, quorum Voluptuantium usque & usque deploranda habemus exempla: Tu sequere Sobrietatem:

*Si Tibi deficient Medici, Medici Tibi fient*

*Hæc tria: Mens Hilaris, Requies, Moderata Dieta.*

4. Castitas nos docet ut puritatem nostram extra torum legitimum conservemus. Regulas ha-

habeamus sequentes. *Primò.* Cum sine *Cerere* & *Baccho* Venus frigeat; utamur tenui suppellectili, ne Animus sit inhabilis ad munia obeunda; corpus autem libidine turgescat: Venter enim & Venus adeò conspirant, ut monstrum horrendum, informe, ingens, sit Libido sine Gula. Assatim deliciarum habebis si Virtuosus eris, parsimoniâque ipsa erit Tibi generosa Cupido.

5. *Secundò.* Principiis obsta. Serò medicina paratur, Cum mala per longas invaluere moras. Difficilis labore est fateor talem vincere *Dalilam* & eam superare, multi sunt *Schimschones* pauci *Josephi*, qui talium Sirenum crepundias evadere valerent:

*Adam, Schimschonem, Loth, Davidem, Salomonem*

*Fœmina decipit. quis modò tutus erit?*

Verum præmissimus in nostra Facultate esse actus nostros suspendere, determinare, & regere: Castus eris si volueris. Nihil non potest Animus, cui semel decretum est *Vincere*: Paulatim itaque desuesce, paucis diebus primùm contine, mox gradatim tempus protrahe: Victor eris.

*Quis quis amat patitur: dominatur quis quis amatur.*

O quantum habebis gaudii si repellere talem hostem poteris, seriò alicui studio vaces:

*Ora sitollas, perière Cupidinis arcus*

*Contemptaque jacent & sine luce faces.*

- - - *Qui finem quaris amoris,*

*Cedit amor rebus, res age: tutus eris.*

6. *Tertio*. Mulierum aspectum & colloquia fuge, Tumet illa ut vulgus stupeat; sed nec est ab Amore tuta, quod aliorum Pectoribus ardorem infundere contendat: Itaque tu ad picem propius quam par est accede ut ne inquineris. Hæc non sunt impossibilia, dependent à Libertate tua,

- - - *Sæpe recessit*

*Turpiter à Phœbi viâta sorore, Venus.*

Verum è vero: de Libidine, non tam pugnando quam fugiendo reportatur victoria: non tam blanditiis renidentibus, quam sæveritate voluntatis: Hinc ait *Ovidius*:

*Quàm potes in pejus dotes desleste puella:*

*Judiciumque brevi limine falle Tuum.*

7. *Potentiales Temperantia Partes sunt, Modestia, Mansuetudo & Clementia*: Illa merita sua non jactat, φιλονικίας ambitionem, quâ quis mediocres honores, vel nimium, vel non decenter expetit, fugit. ἐφιλονικίας honorum contemptum, quo quis honores sibi debitos præter rationem aspernatur improbat. Humiliter de se sentit, nihil ultra, quam quæ adepta est ad se pertinere autumat, magis tribuit quam recipit. Honores si quos adepta est, non suo ducit merito; merita enim, levis etiam ostentatio minuit, & sicut propria laus in ore sordet: Ita Virtutis manifestatio, gloriam quæ illi deberi existimatur, obscurat. Tales honori-fugas honor sequitur velut umbra fugientes, & illis magis adhæret qui illum minus prosequuntur: Unde

Unde, Vir meritis clarus & Virtutibus scatens, Ipe gravida Ipeciem debet referre, quæ eò humilius demittitur, quò, pluribus granis turgescit & Ipectabilior evadit. *Aliissima quæque flumina minimo sono labuntur.* Nec modestus aniles effutit ineptias, nec loquentem interpellatur.

8. *Mansuetudo*, Iram & ea omnia, quæ in Iram possunt concitare veluti offensiones, damna, injurias, & præcipuè contemptus, pro objecto habet: Unde *Ira* definitur, *Vindicta cupiditas, orta ex contemptu nostri vel nostrorum.* Verum, Mansuetudinis officium est, Iram Affectum vehementissimum, ac sæpè perniciosissimum intra limites tenere, ne illicitæ vindictæ cupiditate rationem pervertat & mentem suâ sede deturbet. Iram effectus *Vid. sup. Sect. VII. §. 5.* Unde, vir *Mansuetus* animo, *Iram* aliàs *Fortitudinis* cotem ad Mansuetudinem revocare debet: non debet esse effervescentes, inexorabilis, irritabilis, hypocrita: hoc est, candorem palpo & ofusiis assensimulans: Ore amicus, re fraudulentus infidiator, versipellisque veterator, seu quod idem est, Mel in ore, Fel in corde, per modum *Diaboli Adamitici*, ne habeat. O quam multos, quod dolendum, experimur tales! Qui basiant: Imprudentiores suâ vafritie malefieriâ & satanicâ, devinciunt, postmodum distortis labris, aut exerrâ lingvâ, aut digitis in Cicconiam formatis, aliisque generibus sannarum, iis, à tergo, despicientiam & ludibrium exhibent. Abest ab illis *Modestia*, abest *Mansuetudo*, unde, experire sanè: Nulla vera Amicitia

citia illos; tanquàm Bestias venenatissimas, ut inquit *Diogenes*, tangere potest, videntur tales sibi, vivere; sed reverà semimortui sunt: At tu *lis Mansuetus*, si aliquem offendisti, ne pudeat te offensam agnoscere, offensumque mansuetè affari & deprecari, non simulatè; sed ex animo: Ita omnes oppidò Tibi devinxeris: Ne pudeat Te *M. Tullium Ciceronem* pro Exemplari habere, qui *Quintum*, Fratrem offensum, deprecari non veritus est: *Amabo Temi Frater*, inquit Cicero, *ne si uno meo facto & Tu & omnes mei corruistis improbitati, & sceleri meo potius, quàm imprudentia, misericordieque assignetis*, Lib. Epist. p. m. 412. Pertinaciam abigas, omnemque audaciam frivole contradicendi exosam habeas. Citò ne effervesceas, nam *parva sapè scintilla magnum excitat incendium*, & NB. Omnibus odio esse, qui facile Irà inardescit & in quemcunque levi etiam de causâ exasperatur: Contrà illius Indoles amatur, qui offensus facile mitescit, & illatam injuriam remittit, & nullarum rerum obliviscitur præter injuriam: En Tibi Speculum,

*Quo quisque est Major, magis est placabilis Ire,  
Nec faciles motus Mens Generosa capit.*

Non enim debet Muscas Aquila captare. Disce liberales jocos proferre; nam si stupidus & bardus eris, nec aliorum jocosorum jocationes perferre poteris? Tetricum audies:

*Exeat ex mundo, qui joca docta fugit.*

De offento hoc consilii Tibi dare possum, & *Experto crede Roberto*: Cujuscunque animum

num offenderis semel; etsi tandem centum beneficia illi contuleris, à Vindictâ unius illius Injuriae securus esse nolito. Sagitta quidem eximitur vulnere; sed acceptæ Injuriae memoria in animo altissimè refidet; quod ipsum recitat *Musladius Sadus Polit. Pers. in Rosario Politico*, interprete *Gentio Cap. 3.* iduicque majores in animo offensus creat acerbitates, injurias & offensiones adversus offendentem prosequuturi. Et nota quælo Prudenti Circumspectione oculos offensus, invito eo, hypocrisis & cavillum aliquod se prodat, quod habere debes pro signo infallibili perverfi erga Te ingenii. Etiam Rex *Hungariae* Prudentissimus, *Matthias Corvinus* observaverat hoc idem: Dixit enim ille, Tria esse minùs oblectabilia. 1. Barbatam Fœminam. 2. Obsonium Recoctum. 3. Amicum Reconciliatum. *Barbata* enim *Fœmina*, semper aliquid Virilitatis quod metuere cogimur, redoleret. *Obsonium Recoctum*, aliquid insipidi ex pristini frigoris reliquiis. *Amicus Reconciliatus*, aliquid Vindictæ ex antecedenti injuria.

9. *Clementia*, quæ apud *Ciceronem* pro nomine *Mansuetudinis* venit, à pœna ad lenitatem inclinatur. Differt parùm à *Mansuetudine*, quod *Mansuetudo* potius circa *Iram* versetur, ut in animo exsistit, & tribuatur omnibus: *Clementia* verò Vindictam respicit ac Pœnam, & Majestatibus excellenter competit: Nam ut eleganter inquit *Plutarch.* Planetæ eò tardius moventur, quò sunt in sublimiori sphaera: Ita quantò major est Principum Auctoritas, tantò magis suis

As-

Affectibus moderari, eoque temperare debent. *Spinæus* p. 136. Omnino Majestates oportet esse Clementes & delinquentibus ignoscentes; sunt enim suprema pars Corporis Politici, & velut tectum domus sustinet inclementiam aeris: Ita Majestates debent pro aris & focis Rerum, assiduas agere excubias, debent Cives administrare & tueri, mala Fortunæ fortiter *Perferre*, etiam in adversis Clementes decet erga Cives velut Oves ex imbecillitate oberrantes, esse, ut eorum incolumitati prospiciatur.

*Dura aliquis præcepta vocet mea. Dura fatemur*

*Esse: Sed, ut valeas, multa dolenda feras.*

*Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes,*  
*PERFER. & invitos currere coge pedes.*

#### Seçtio X. De Fortitudine.

1. **A**ntiqui Stoici, Cicero cum illis, similiterque Plato, &c. agnovere *Prudentiam*, *Temperantiam*, *Fortitudinem* & *Justitiam* pro Cardinibus Virtutum, idem filios lectamur, præmissis 1. *Prudentiâ*, quæ res sub actionem venientes earumque circumstantias dijudicabat. 2. *Temperantiâ*, quæ cum *Fortitudine* & *Justitia* Appetitui secundum Prudentiæ dictamen præest. Verum quod Appetitus vel in nostrum bonum tendant, vel in alienum, hæc tria inter se discriminant; duo priora Appetitum nostri boni; *tertium* alieni, dirigunt: *Duorum prius*: Appetitum in rebus secundis regit, cui etiam finem imposuimus, *posterius*, Ap-

Appetitum in rebus adversis dirigit, cujus tractare nobis incumbit. Postremo *Justitia*. Pergitur itaque,

2. *Fortitudo*, Græcis *ἀνδρεία*, est Constans propositum adeundorum & perferendorum laborum & periculorum, quando illa optima esse existimavimus Honestatis & Publicæ Utilitatis gratiâ. Duo hinc sunt præcipua, 1. *Aggredi*. 2. *Sustinere*. Prius illud, Audaciam Moderatur cautè aggrediendo. Secundum, Timorem reprimat, difficultatem sustinendo.

3. Requiritur I. ad *Fortitudinem*, *Animi Firmitudo* contra res adversas, quæ sunt arduæ & luperatu difficiles; non tam corporis robur; si quidem Virtutes non in donis Corporis; sed in Animæ dotibus versentur. Hæc Fortitudine Fortes dici queunt, qui constanti proposito exequuntur omnia, quæ honesta esse judicarunt; res autem quæ debent aggredi, debent essetam aggressu, quàm perpesu difficiles; quoniam si levetantum facerent negotium, non tam Virtutis, quàm Simplicis Actionis nomen audiremus. II. Ad Fortitudinem exigitur, *Æquitas rei*, & *Honestas citra temeritatem*: Non enim Titulus Fortis competit ei, qui stultè sit audaculus, defugiens notam pusillanimitatis, relinquit nihil inausum, temeritate fretus, provocat pericula, quæ aliàs posset evitari, nec necessitas cogat experiri: Sed illi jure merito convenit, qui examinat pericula, quæ, quamvis non diligit; intrepido tamen adit animo & omnia perfert, quando, & quomodo oportet.

oportet, vincitque omnia per *Aequanimitatem*, *Magnanimitatem* & *Patientiam*.

4. *Aequanimus* audit, quum se ad omnem eventum indifferenter habet: hoc est, se non effert prosperis rebus; neque subsidit calamitosus. *Magnanimus*, quum non consternatur ad repentinos casus, quibus videt se & suum propositum periclitari; sed protinus viam quaerit aut Prudenter eas declinare, aut si videt inevitabiles, *Fortiter* & *Intrepide* perrumpere: Hæc est Virtus illa Heroica, supr. *Secl. VII. §. 7.* cui adde Generositatem. *Patens*, quum malum, cui non potuit elabi, *Fortiter* perfert, non tam agit quam patitur, nec propterea de tramite recti decedens ad omnia occallefcit.

5. Mala in quibus *Fortitudo* enitescit, vel sunt Interna, vel externa, quæ Publica & Privata esse animadvertes. Metus ac Fiducia sunt *Internæ*: Quæ Metum incutere & Fiduciam asferre solent, sunt *Externa*. *Fortitudo* imprimis occupatur circa Metum & quæ Metum concitare possunt, difficilius enim est res molestas ferre quam à secundis abesse. Quicquid formidabile est, malum audit: *Fortitudo* tamen non circa omnia illa versatur. Mala quædam sunt talia, quæ omnino honestum est metuere, inhonestum contra: qualia sunt omnia *Mala turpia*: Quin nec omnia *Malatristia* Fortitudini subsunt, quorum non nulla majora sunt quam ut possent à *Fortitudine* temni, vel sustineri, quæ merito terrorem incutunt: ut *Terræ motus*, *Inusitata tempestates*, *Inundationes*, *Pestis*, &c. & dicuntur

tur *ὡς ἀνίσταται* supra hominem, Nonnulla sunt, quæ possunt à *Viro Forti* & cordato sustineri & contemni, & dicuntur *ὡς ἀνίσταται* secundum hominem, quæ iterum sunt *Majora* s. graviora, alia *Minora* s. leviora. Circa illa propriè occupatur *Fortitudo*; sed non circa omnia: sunt enim & in iis, quæ *secundum hominem* sunt nonnulla, quæ sine turpitudine contemni non possunt: ut *Excidium Patriæ*, *Amissio veræ Religionis*, &c. Minora autem, qualia sunt *Paupertas*, *Carcer*, *Exilium*, *Morbus*, *Fama* & *Amicorum jactura*, &c. penè infra *Fortitudinem* sunt posita, in quibus *Vir Fortis* Metum non tam temperat, quam deponit, nec ignominiam propter hæc afficitur, modò non sint propriâ contracta culpâ. *Zeno* Stoicorum Princeps, purpuram ex Phœnicia advectans, naufragium fecit, hincque *Athenas* venit annos 30. natus, seditque juxta Librarium ubi delectatus lectione *Zenophontis*, sciscitur ubi nam ejusmodi Viri morarentur, opportunè tunc prætereunte *Cratete*, digito illum Bibliopola ostendens, hunc, inquit, sequere: postremò postquam 20. annos ipsum audivit, decessit, ipsumque dixisse ferunt: *Tum secundis ventis navigavi quando naufragium feci. En Tibi Fortitudinem in Paupertate. Carcer & Exilium Virum Fortem non movent: quidam enim Libros in Carcere scripsere, quidam Literas didicere: ut habemus exemplum in Matthia Corvino Rege olim in Hungaria Prudentissimo, Vicinorum Terrore, cui Schola Crucis fuit Schola Lucis. Hanc eandem digito*

tangit veritatem *Owenius Epigram. Lib. 3.*  
*Est domi ubique Bonus, Sapiens non Exulat*  
*usquam.*

*Omne Solum Forti Patria, & omne Salum.*  
*Exilium est ubicunque male est, Patria est ubi*  
*contra:*

*Patria ubique Bonis: Exiliumque Malis.*

Famæ jactura *Virum Fortem* non labefactat;  
 verum imbellem & abjectum Animum. Multi  
 Boni malè audiunt, & Injuriam assequuntur  
 cum Honores per Virtutes acquirunt: Quot  
 Virtuoli, tot exempla: Verum Generosos A-  
 nimos Labor nutrit, Virtus alit, Regiumque  
 ducunt *benè egisse & malè audisse.* In tali naviga-  
 bar navi Magnus ille *Heros & Philosophus D. Car-*  
*tesius*, cui quot Cicadas, Hepiolas, Grillos,  
 ne dicam Diras incantabant malevoli; qui ta-  
 men semper fuit *Ανὴρ περὶ ἑαυτοῦ καὶ ἀπὸ καλῶν μα-*  
*κρῶν*: hoc est, *Vir quadratus & sine mutatione:*  
*Ingeminando sæpè, Candidè & Generosè.* Ve-  
 rum, quis Virtuosorum unquam à Maledicen-  
 tiæ telis tutus fuit? Hanc movet in suis strophis  
 Hungaricis quæstionem, Illiteratus ille; tamen  
 admirandus Poëta *Petrus Beniczkius, Miles ob*  
*Heroica Facinora Laureatus:* Ecce ex Hunga-  
 ricis hoc modo veritam in Latinum idioma:

1. *Alexandrum Magnum Apellis* pictura

Exactè retulit, nec addere plura  
 Poterat: At *Sutor* surgens de futura  
 Afferit defectum esse in ocrea.

2. *Lynx* videt è longo ubi sit *Mustela*;  
 Illi tamen *Talpa* succenlet cœcula.

De

De flore rosca quærit *Apis* mella;  
 Cui struit virus inanis *Stipula*.

3. Lanâ tenuis *Ovem* abripit *Aquila*,  
 Cujus ad exemplum impar avicula  
 Incipit aggredi parva *Monedula*:  
 Tandem à pueris capitur stultula.

4. *Pardus* est humilis pelle picturatâ:  
 At *Vulpes* caudâ superbit hirsutâ:  
 Sic *Prudens Anima* quiescit modesta;  
 Illi tamen *Scurra* multum est molestâ.

5. *Struthio* generat vastissimos pullos,  
*Regulus* adæquat suos minimulos:  
*Prudens* coadervat Virtutum Cumulos  
 Indemetit *Scurra* mali manipulos.

6. Semel si Poëta dormitet *Homerus*  
 Exultat *Zoilus*, putans, statim Virtus  
 Ibit in nihilum: Jo! tandem masculus  
 Poterit supponi *Tanro*, *Viulus*.

Quot *Scurræ* & *Gelasini* intendunt nobis  
*Bulubachos, Hungaricè Kókös.*

*Ingenium Magni* livor detrectat *Homeri*.

*Apparet Virtus arguiturque malis.*

Arguitur non ratione; sed impetu, gravi-  
 tate porcinâ, ut fulmine bruto. Et reverà ta-  
 lium lingua irrefrenata omnia præposterè ex-  
 plicat. Ad Mentem superscripti Poëtæ sensum  
 meum h. m. expendam:

1. *Crocodilus* velut puer  
 Cantat lachrymando vaser,  
 Virus sublatet; ut Afer  
 Sub illic hæret *Aper*.

F 2

2. Sic

2. Sic *Lingua* habens conditum  
Roscido melle palatum,  
Candorem agit versutum,  
Lethale simulat palpum.

3. *Fornaci* flammis edaci,  
Nequit inesse rapaci  
Major uredo: Procaci  
*Lingvâ* philtro tentatrici.

4. Quando velles quiescere,  
Vel preces Deo dicere:  
Tunc Te tendat traducere,  
Scommatibus laceffere.

5. Te loquentem, turbulentum,  
*Temperantem*, temulentum  
Ait: *Taciturnum*, stultum,  
Et *Jejunantem* astutum.

6. Si Te facies *Devolium*,  
Exaudies propemodum  
Hypocritam & versutum  
Versipellem fraudulentum.

7. Si *Vestem* geres splendidam,  
Vel *Vnam* duces solidam:  
Habere Mentem candidam  
Non Te dicet; sed stolidam.

8. Si habueris *Centonem*,  
Vele ex pellibus *Rhenonem*,  
Et frequentabis *Cerdonem*:  
Tum Te vocabet *Bubonem*.

9. Si coles *Parisioniam*,  
Vel dabis *Eleemosynam*:  
Dicet Te multifariam  
Laudum captare copiam.

10. Si cavebis à vitiis,  
Bonorum prodigentiis,  
Immunis ab offuciis:  
Tum Te devovebit Diris.

11. Sis Sapiens ut *Salomon*,  
Speciosus ut *Absolon*,  
Fortissimus velut *Samson*:  
Derisor dicet *Ferison*. \*

12. Ut *aqua fortis* fusilem  
Reddit carum *Unionem*:  
Sic *scommâ* *Lingua* flebilem  
Cupit reddere *Humilem*.

13. O perditissima *Lingua*,  
Madens mucosâ salivâ!  
Cur Te non arctat gingiva,  
Claustorum bigâ, trigâ.

14. Ut est glacies lubrica:  
Sic es Tu tota rubrica,  
Si fracida sit carica,  
Detorres illicò prunâ.

15. Cacat viscum *Turdus* avis  
Ex baccis juniperinis,  
Cui inquinat se pennis,  
Solvitur manu hominis.

16. *Perdix* pipientes pullos,  
*Glives* gravidos tumulos  
Solent amittere: Sic flos  
*Linguae*, *Lingvâ* perit: ut ros.

17. Indemnem & inculpatam  
Qui vis traducere VITAM,  
*Linguam* saccharo fucatam  
*Apagæ* melle conditam.

\* H. E. Verba  
loquetur per  
lustralia &  
præpostera,  
adeoque  
stulta.

6. Consideret igitur quisquis impetitur, num malum quod de eo spargitur commiserit, aut non? Si non? Quorsum ad improperantis vocem tantum concutitur? Vilipendat importunum Calumniatorem & generose contemnat, *Deus & Conscientia sint Iudices, Cato pulcrè monet:*

*Si rectè facias ne cures verba malorum,  
Arbitrio non est nostri quid quisque loquatur.*

Si commiserit? protinus corrigat, & VITAM emendando maledicendi materiam subtrahat, & quantum humani possunt se tendere passus, arduus acceleret, solertèrque attendat: Non nisi à seipso posse aliquem offendi, & animadvertat.

*Principio fictis non de est sua gratia verbis:  
At tandem sunt prorsus inutilia.*

7. Apparet denique Fortitudo generosa in Morte, quæ animo Constanti ob *Vere Religionis professionem*, aut pro defensione *Patriæ Libertatis, Parentum, Conjugum, Liberorum, Amicorum* sustinetur, in summa pro *Lege & Grege* appetitur.

8. Ne simus ergo Generosi nomine; moribus verò insulsi & agrestes, cum Nobilitas & Fortitudo Generosa, Virtute probentur. Perfectio Virtus *Factis* plus quàm *Verbis* quaeritur. Cum verò *pericula* sint *prævisa* vel *subita*, in utrisque quidem Fortitudini est locus: at in *subitis* potissimum: Ea namque Animi Constantia, quæ minus habet præparationis, magis est ab habitu.

*Per-*

*Perfer & obdura, dolor hic Tibi proderit olim,  
Sæpè tulit fessis succus amarus opem.*

### Sectio XI. De Iustitia.

1. **A**bsolvimus tractationem Virtutum, quibus dirigebamur in ordine ad nosmetipsos; sequitur Iustitiæ exercitium in ordine ad alios nos dirigentis. Sacratissimus Princeps *Iustinianus Inst. Lib. 1. Tit. 1.* Definit Iustitiam, Constantem & Perpetuam Voluntatem Ius suum cuique tribuendi. Autor hujus Definitionis est *Ulpianus Lib. 10. D. hoc Tit.* Hic differentia locò adinadvertit, Titulum Voluntatis: consilium & electionem notare, quibus facultas, quæ aptitudo adest ad res iustas gerendas, dirigitur: Eadem Voluntas debet esse Constans & Perpetua: hoc est, observatrix Competentiæ s. Congruentiæ inter Rem & Rem, Personam & Personam, non semel, bis vel ter; sed semper quotiescunque se occasio obtulerit.

2. Homo habet duplicem respectum ad alios, ut vel respiciat totam Remp. ut pars totum, vel quemlibet seorsim, ut pars partem; ita pro diversis utrobique officiis, & Iustitia actionibus, Iustitia alia *Universalis* est, quæ ad Reip. Leges est Ordinata, seu *enopias* observat; alia *Particularis* est, quæ observat *id est* *Convenientiam*, s. æqualitatem, differentiarum inter pares aut quasi pares, ac similitudinem rationum inter impares.

3. *Illa*, est Virtus talis, quæ omnibus Legibus obedientiam præstamus, propter hoc, ut

F 4

Pa-

Publica Utilitas promoveatur & Politica Societas inter homines conseruetur. Hæc appellatur *Justitia Legalis*, quia omnibus Legibus ita se accommodat, ut nihil contra eas committatur. Hæc universalis *Justitia* in se virtutes continet omnes.

4. Hæc, est illa, quam antea definivimus *Constantem & Perpetuam Voluntatem Jus suum cuique tribuendi*. Speciali nomine *Convenientia* s. *Equalitas* aut *Similitudo* dicitur. Subdividitur in *Distributivam* & *Commutativam* s. *Correctivam*. Illa Geometrica, Hæc Arithmetica proportionem gaudet: Seu, illic inter binos terminos æqualitas spectatur differentiarum, hic inter binos terminos similitudo rationum: Illa ad Majestates duntaxat; Hæc verò ad omnes spectat. Clarius: Illa Personarum; Hæc autem rerum rationem habet.

5. Non improbamus apud *Celeberrimum D. Amesium* phrasin *Observantia*, quæ insignivit insignem suæ Medullæ Theologi partem secundam, quæ phrasis fuit familiaris Scriptori *Suetonio*, post eum *Thomæ Aquinati*, ex HOC, prout nobis compertum est, NOSTRO. Pro speciebus *Observantia* dat *Religionem* & *Justitiam* L. 2. c. 4. §. 1.

*Dissentire duos animis de rebus iisdem*

*Incolumilicuit semper amicitia.*

Magnus ille Vir ulus est judicio suo prout solet dici:

*Me mea delectant, Te tua, Quæmque sua.*

6. Itaque nos, postquam ex contemplatio-

ne

ne vitiorum examussitavimus *Virtutum* cumulum, ut &, ex *Cupiditate* *Justitiam*, quam delibare incepimus: Jam è vestigio nobis occurrit materia quædam tractatu necessaria, fluens ex oppido *Justitia*, quæ est, *Obsequium* erga *Deum* & *Proximum*. Mitto vocabulum *Observantia* Theologis; siquidem *Obsequium* plus ferat in mantica & invisceribus majora contineat quàm *Observantia*: Potest enim quis *Observare* rem aliquam; sed & potest non *Obsequi* ejus veritati. Exemplum habemus in *Famigeratissimo Aristotele*, qui Principia suæ *Ethices* *Observavit* quidem nec oblitus est eorum *Theoreticæ*: At *Obsequium* & *Praxis* eorum exulavit ab illo. Non nudâ conjecturâ hoc dico: Verum cui non constat ejus exorbitatio propter *Amorem* cujusdam *Ancillæ*, cujus amore captus triennio ferè ad *Hermiam Atarnei Tyrannum* confedit, crediturque conjurationis in *Alexandrum* confcius fuisse. Sic *Gravis* ille *Philosophiæ Doctor Aristippus Cirenaiorum Magister*, cum *Laiide* nobili scorto habuit consuetudinem quod antea improbabat flagitium, quò tandem pervenit! lætabatur quod ipse haberet *Laidem*, & alii à *Laiide* haberentur, & aliquid inter se & perditos interesse dicebat, viz. quòd illi bona sua perderent, ipse gratis luxuriaretur; sed & docere libidines cœpit ac mores suos de lupanari ad Scholam transtulit. O præclara & bonis *Obsequio* imitanda non in *Corde Philosophi*, sed in *sinu meretricis nata Sapientia*! Ita, *Ovidius Naso* dat *Remedium Amoris*:

F 5

Oia

*Otia si tollas perière Cupidinis arcus;*

*Contemptæque jacent & sine luce faces*

Quis est qui hæc vera non esse dicat? At quid tandem! profitetur se repressum ab aliis fuisse propter suas lascivias, quas, cum sit pudor illi dicere, Tu concipe ingenio ait:

*Nuper enim nostros quidam carpsere libellos;*

*Quorum Censurâ Musa proterva mea est.*

*Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere: sed Tu Ingenio verbis concipe plura meis.*

*Sapè tepent alii Juvenes: ego semper amavi,*

*Et si quid faciam nunc quoque quaris? Amo.*

Vide! Vide Ludionem hominem! Dicit Otium esse pulvinar Cupidinis, commendat sublationem, incidit in se; sed non Obsequitur, dicit se semper amasse & amaturum: Tractat Remedium Amoris: at Bona sunt mixta Malis. Plus est utique in Obsequio quam in Observantia; qui enim Obsequiosus est, & Observat Observanda & eis Obsequium præstat: Habet se per modum Concretorum.

7. Si autem Observantia tantum apud alios valeat quantum apud me Obsequium, facillè manus dabo. Sed ut è diverticulo in viam:

8. Obsequium erga Deum est, quo eum secundum Naturæ Leges & Præcepta, quæ ab illo emanasse certâ ratione constat, veneramur ac colimus: Ea enim debet esse hominis prima Affectio, ut suo Auctori firmiter adhæreat, & illum ut Boni principium agnoscat, quantum humana sua sinit imbecillitas eum detegat & *Esse* seu *Existere*, quæ in Deo identificantur, sibi persuadeat,

suadeat; ipsumve ad Similitudinem ejus esse conditum animadvertat, ipsi, se committat, & nihil extra illius consilium necessariò contingere, more *Fatistarum* credat: Nam is Mundi Rectorem ac Judicem corrumpere satagit, qui aliquid Providentiæ illius subducere contendit, His pensitatis, Obsequium potest & Gratitude vocari.

9. *Ulpianus* ait, *Jus* comitatur *Justitiam* prout Causatum Causam. Unde *Jus* considerat tantum effectum *Justitiæ*, seu potius ejusdem quasi normam. Dicebam superius, Obsequium nostrum erga Deum, fluere ex *Justitia*; Unde efflorescit Obsequium erga Deum non tam esse *Justitiam* quam *Jus* quod Deo ex ejus *Justitia* retribuimus: Vix etiam concipere valeo, ut *Justitia* in ordine ex nobis competeret Deo, maxime si Notationem *Justitiæ*, prout quibusdam placet, faceremus *JUS TUTELÆ*: Sin secus? Multum improprie; sed quantum adhæc manum de tabula, relinquendo in medio.

10. Obsequium erga Proximum dico consistere in Gratitude & in Amicitia. Gratitude complectitur *Majores*, viz. *Parentes*, *Propinquos*, *Familiares*, &c. Immò & Patriam quamvis propriè Proximi nomine non veniat. *Describe* in genere *Gratitudinem*, quod sit, *Jucunda accepti beneficii memoria conservatio*.

11. Hæc *Justitia* aliquomodo nuncupari poterit Circulus aliarum Virtutum, quod contineat eas in se, & earum non obliviscatur. *Majioribus* pro acceptis beneficiis, *Parentibus* è quibus

bus tanquàm è Canaliculis hunc mundum ingredimur, pro TUTELA, proximia in nos immeritos & exiles collata benevolentia, gratias agimus: Hoc enim naturæ dictamen est, quod nec Ethnici respuerunt: Unde pius *Aeneas* Patrem è Trojano Incendio incolumem, gratitudinis ergo eripuit. Apud *Virgilium*:

*Illum ego per flammam & mille sequentia tela  
Eripui his humeris, mediòque ex hoste recepi.*

12. *Propinquis & Familiaribus*, &c. Gratitude declaramus, quando benefactum agnoscimus, deprædicamus, pensamus, redhostimus, & si Facto non liceat gratiam referre, saltem Animo gratiam habemus, aut verbis gratias agimus: nam munera munerationibus remunerari & munificium esse sæpe numero non licet.

13. Inter hæc Omnia, Gratitude erga Patriam micat, quæ per Prosopopæiam veram à nobis Gratitude exigit, quum omnium Societatum, ut ait *Cicero*, nulla est Gratio, quàm ea, quæ cum Republica est unicuique nostrum. Chari sunt *Majores, Parentes, Amici, Liberi*, &c. sed omnes Charitates Patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet oppetere si ei sit profuturus? Quippe Patria omnes complectitur, quos potissimum aut amamus aut magnificimus; Illa enim salvâ illis benè est: labente autem, cæteris omnibus labascere & perire necesse est. Hinc invaluit dictum illud: *Homine ingrato nihil quidquam Terra pejus alit*. Heroës mortem suam solent Patriæ Gratitude redhostium apponere: Ita Pius *Josias*, 2 Reg. 23. *Hector* apud *Virgilium*. *Leonides* apud *Plutarchum*, &c.

14. Est

14. Est aliqua tenuis differentia inter *Gratitude* & *Amicitiam*, quoniam 1. *Gratitude* convenit omnibus ad omnes. Sic Mendicus potest Gratias agere Cæsari vel Pontifici pro lotionem pedum, aut pro oblatione nummorum: Sic hodiernis Regibus *Anglia, Gallia*, &c. qui solo tactu morbum, quem Regium eo nomine vocant sanare valent, illi sanati, pro beneficio Regio, Gratias agere possunt: non tamen ex eo sequitur ipsos esse Majestatum Amicos. 2. *Gratitude* propriè respicit res acceptas: At *Amicitia*, præterita, præsentia, futuræque respicit. 3. In *Amicitia* comperitur aliqua æqualitas: At in *Gratitude* non semper. His monitis, *Amicitiam* dico esse: *Obsequium mutuum, quo aliqui Bonis in vicem affici volunt.*

15. *Amicitia* quicquid amaritudinis *VITA* adfert, tollit. Quicquid suavitatis, condit & *TRIUMPHARE* facit. Nos edocet cum *Juvenes* sumus: Nobis adest cum *Senescimus*, & nunquàm officii sui oblita, semper opitulatur & juvat. In prosperitate cui beneficiamus præbet: In Afflictione cui succurramus & consulamus quæmque consolemur. Sint nobis pro exemplis *Jonathan & David*, 1 Sam. 18. & 20. *Nisus & Euryalus*. *Aeneid. IX.* *Castor & Pollux* apud *Propertium*, *Martialem*, *Horatium*, *Virgilium*, *Plinium*, &c. Memoriale fiat.

*Euryalus Nisum*: Pollucem *Castor* amavit: *Davidem Jonathan*: *Scura* negare nequit.

16. In hac *Amicitia* iusta contemplari possunt. *Humanitas*, quæ erga omnes homines, cum

quadam Benevolentia officium nostrum testatur ex dignitatis humanæ consideratione, communisque omnium nostrum affinitatis contemplatione.

17. β. *Hospitalitas*, quâ Peregrinos benigne excipimus, non ex eo tantum quod homines sint; sed quod in aliena Terra delitescerent, multis rebus carere possint, quibus Domi fruuntur.

18. γ. *Comitas*, quâ communis humanitatis sensu impulsus, blandè nos convenientes alloquimur, nostraque verba ac gestus ita componimus, ut quandam Benignitatem conniventem prænobis feramus.

19. δ. *Affabilitas*, quâ in congressu ad audiendum faciles nos præbemus cuilibet bono Nobili & Ignobili, amanter salutamus quemcunque convenimus, aut præterimus, aut obvios habemus, salutantesque comiter resalutamus, comitamur, nos compellantibus vel aliquid interrogantibus placidè respondamus, saltem annuendo vel abnuendo, ita sumus omnibus familiares eorum animos nobis conciliando.

20. ε. *Charitas*, quâ impellimur ad dilectionem omnium, ut eis quantum vires & opes nostræ sinunt, subveniamus: Nam cum hujus VITÆ Felicitas in Actione posita sit, non solum Affectibus; sed potissimum operibus, proximis auxilium debemus, omnium maxime Fidei Familiis, ut loquitur alicubi Apostolus: ut sic sine fuco VITA nostra TRIUMPHET.

21. Cha-

21. Charitatis, Filia est Liberalitas, quâ secundum valorem nostræ crumenæ *ἡδονὴ καὶ ἀδω-  
τος, cum animi jucunditate & sine molestia* Beneficium impertimur. Duo vitia Liberalitati opponuntur, in excessu est *ἀσπῆτα profusio* s. prodigalitas, in defectu *ἀναισθησία illiberalitas* s. avaritia. Excessum autem & defectum hic spectamus in dando: Nam in accipiendo quandoque *prodigalitas* defectus, *avaritia* excessus rationem habent.

22. His ita ritè perceptis quisque operam debet dare, ut Obsequiosum in omnibus se præbeat Deo, & in omnibus Proximo quæ re ipsa sunt *Vera & Bona*, si sibi, & aliis satisfacere satagat. Dico *Vera & Bona*: nam pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione aliquid malum est faciendum: sed pro utilitate tamen indigentis, opus bonum liberè aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum: Hoc enim factò opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur. Sine charitate opus externum nihil prodest: quicquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam parvum sit & despectum, totum efficitur fructuosum. Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis agit, quam opus quod facit, *Es. 40. 10. Jer. 17: 10. Apoc. 22: 12.* O qui scintillam haberet veræ charitatis, profectò omnia terrena sentiret plena fore vanitatis.

*Sectio XII. De Summo Hominis Bono, quod Naturale dicitur, & Beatitudine s. Mentis Gaudio & Satisfactione ex possessione Summi Boni resultante.*

1. **S**icut Navigantes in profundo Pelago ad Sidus aliquod oculos attollunt, ut ejus adminiculo tandem portum exoptatissimum pertingere possint: Haud aliter nos in Mari profundissimo rerum intellectualium navigantes fecimus: Rectâ Ratione Principe, Rem è Re, prout altera ex altera naturaliter promanat, eliquavimus, nihilque præcipuorum ad **VITÆ TRIUMPHANTIS** Enchiridium pertinentium præterisimus: Principes Virtutes ex suis primis principiis methodicè deduximus: Tandem ad Finem ultimum naturalium nostrarum actionum, viz. *Summi Boni* pascuum, favente *Neptuni Zephyro*, mediis equitavimus undis: Ubi,

2. Investigare nobis incumbit natura Rerum in hac diæcesi sitarum: Credo qualiserat Mater, Filia talis erit adminimum; immò paullò majora speramus, Inquit ille:

*Mens agit in Mentem, Corpus tua fibula Corpus.*

Multi multa ex hoc Hexametro pro modulo sui genii concludere poterunt: At tantum est dicere:

*Navita de Ventis, de Tauris narrat Arator:  
Enumerat Miles Vulnera, Pastor Oves.*

Seu:

Seu: *Menti Cogitatio, Corpori Extensio. Qualis Rex: Talis Grex.*

3. Si hæc tenus perfectiones Animæ tanquam potioris nostræ partis collyria lustravimus; debet necessariò *Summum* etiam *Bonum* ex istis erivans ejuldem esse naturæ. Non est tempus omnium præcedentium facere *ὑπὸ τοῦ ἀπολογισμοῦ recapitulationem* quantumvis summariam; quæ tamen hic fierent apposita. Breviter: Non est quærendum *Summum Bonum* in Rebus in ordine ad Corpus se habentibus; sed in Rebus in ordine ad Mentem officio fungentibus.

4. S. B. Debet esse homini peculiare, Animam satians, nec cum Pecudibus commune: Debet esse æternum & immortale; nam immortalem animam debet satiare: Nemini debet esse noxium, nullisque adferens sui fastidium: Debet esse tale, quo nihil præstantius naturaliter appeti à nobis possit: Debet esse in nostra potestate situm, & à nobis obtineri valens & soli *Libero Arbitrio* obnoxium. Quibus ita libratiss, non video aliquid *Summi Boni*, quod in hac **VITÆ** comparare possumus, nomen subire posse præter possessionem Perfectionum istarum, quarum acquisitio à *Libero* nostro *Arbitrio* pendet per rectum ejus usum in hoc puncto consistentem, ut semper firmum & constans Animi habeamus propositum faciendi exactè omne id, quod optimum judicabimus, omnesque Mentis nostræ vires ad id benè cognoscendum impendendi: Atque hoc est illud Magni illius Militis Theologici *D. Frid-*

G

rici

*rici Spanhemii*, nostri Præceptoris Observantissimi D. *Frid. Spanhemii*, Patris: *Semper faciendum, quod factum vellemus novissimè*. Non quasi *Libertatis Arbitrii Indifferentia* per *semper firmum & constans propositum* tolleretur; sed quod *Libertum Arbitrium* extra delicias, objecta, allectamenta cætera quæ sunt corporis, exilit in ista, quia vult, sine omni necessitate, vel aliâ cogente causâ quàm quia ista vult velle, amare, firmiter ac constanter proposita exactè facere, quæ uno nomine vocantur Virtutes, quarum fertilitas in superioribus Topiariis luxuriabatur, in quibus etiam L. A. suam dotem *viz.* Indifferentiam non amittit, liberè se habet ad has vel illas Virtutes contemplandas.

5. Iterùm his circumspèctè trutinatis, nihil à nobis pendere posse ad *Summum Bonum* assequendum, præter Virtutis exercitium, ergo statuendum in eo solo nostrum *Bonum* esse collocandum: Quicquid enim ab illo principio non proficiscitur, laudem non meretur, ut, nec vituperium: *Libertum* enim *Arbitrium* quamdiu vivimus, nostrarum Actionum Regula est, & veluti Dux quem sequi debemus, cum illo TRIUMPHAMUS, cum illo claudicamus.

6. Immeritò ergo in aliis Bonis, quæ aliunde, *ut ex sequentibus patebit*, nobis offerri possunt, collocavere olim Philosophi *Summum* Hominis *Bonum*: Quorum errorem ex eo natum esse arbitror, quod non satis, quæ hominis sunt perpendendo, non *Mentis* functiones à

Cor-

*Corporis* motibus distinxerint & Hospite neglecto, solius Domicilii commodo studuerint: hoc est, quæ ad Animum spectant, Corpori tribuerunt: Si enim Mentem, *ut par est*, præcipuam, nobiliorémque Hominis partem considerassent, iniquum reputassent, veram Satisfactionem externæ parti assignare, quæ soli Rationali & Internæ debetur.

7. Ista Bona in quibus *Summum* Hominis *Bonum* Illi collocavere sunt numero tria: *Sanitas, Pulcritudo, Voluptas*. Sed apage ejusmodi volubilia Tuceta velut Nænias, quæ possidentibus persæpè nocuere, & sunt cum istis Belluis & Bestiis abditissima deserta inhospitæque resqua incolentibus, communia: Nam si in *Recto Corporis statu Summum* Hominis *Bonum* constituas; quidni *Elephas* Belluarum maxima, *Rhinoceros* æquali ferè corpulentia, *Bonasus* bicornis, *Unicornis* unius cornu, *Alces* tergo insecabilis, *Cervus* præagilis: *Leo* Bestiarum robustissima, *Pardus* & *Pardalis* nigris maculis & inter-albicantibus punctulis picturatissimi, *Tigris* lævissima etiam maculosa, *Lynx* præacuti visus coloratòque tergo: *Homine erunt Beatiores?* quum firmiori sanitate fruantur & sensuum Bonitate nobis superiores sint: v. c. sentiunt s. recipiunt acutius quàm nos, juxta illud:

*Nos Aper auditu præcellit, Aranea tactu, Vultur odoratu, Lynx visu, Simia gustu.*

8. Corpore tenus edunt actus nobiliores & subtiliores, quàm edimus homines v. c. Bru-

ta habent Remp. optimè constitutam ut *Grues Formica*, &c. Componunt cellas sexangulares, tectoque superbas, &c. ut *Apes*: ne plura nent fila subtilissima, lineis mathematicis simillima, & inde struunt corpus retiforme ferè Mathematicè; in eo enim centrum ali-quod reperitur & ex centro, atque circa centrum ducuntur multi circuli, magis vel minùs ampliores, prout centro sunt magis vel minùs viciniore ut *Araneæ*, quæ omnia facundissimè tractat Cl. D. Martinus Sylvanus in sua *Philos. in Cap. ante Anthropologiam*.

9. Ita fragilis naturæ munus Pulcritudo velut umbra fugit: Tempestatum insidiæ, Æstatis caliditas, Hiemis frigiditas contra cutem Pulcritudinis thronum conspirant & ejus Venustatem permutant, discutiunt, perurunt & extinguunt, ut tandem cantare incipias:

*Nos quoque flos fuimus, sed flos fuit ille caducus.*

Virgilius Maro Formæ versatilitatem innuit istis, cum ait:

*O formose puer nimium ne crede colori,  
Alba lignustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.*

10. Quid curæ *Juvenes* & *Puella* non susci-piunt, ut inane illud munus retineant, & formosi spectantibus appareant? quot horas in comendo & *Juvenes* in mysticis circumvolutione infumunt? Reverà omnia sunt vanitas, quæ *Dido* Filia *Beli Tyrriorum Regis*, post suum *Maritum Sychem* *Herculis* Sacerdotem à *Pygmalione* *Didonis* Fratre occisum, & delationem sui in

A.

*Africam*, & *Jarba* *Getulie Regis* nuptiarum ejus propter Formam ambitionem: recusantis, vi, armisque coactionem, morte, propriis manibus illatâ, posteritati suæ caduca esse patefecit. Eleganter *Ovidius*:

*Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad  
Annos,*

*Fuit minor, & spatio carpitur ipsa suo.*

*Nec semper Viola, nec semper Lilia florent,*

*Et viget amissa spina relicta Rosa.*

Unde rectè loquuntur Christianorum versiculi:

*Forma, Color, Vires pereunt, cœu Lilia; sed  
Mens*

*Luce Dei fulgens, non peritura manet.*

11. Ita *Voluptas* instabilis est, post primum impetum languescit, & si benè perspexeris, cum maximè delectat, extinguitur; Cujus *Filiæ* sunt *Divitiæ*, *Nobilitas*, *Fama*, quæ omnino sunt lusus & *Fortunæ* pila, quarum prosperitas est transitoria, quàm vasa Figuli, quæ sunt fragilia, quorum quot & quanta habemus exempla in *Theatro Historico Theoretico-Practico*, *Christian. Matthiæ*, cujus lectionem unicuique *Historiarum* avido, corde commendo. Quot *Romani Imperatores*, *Proceres*, quot *Externi Reges* vel hostium, vel suorum manibus è summo solio detracti *Divitias*, *Nobilitatem*, *Vitam* simul & *Imperium* *Famâ* deletâ amittere: Sic *Julius Cæsar* venit in *Curiam*, *Parthicam* expeditionem meditans. Ibi in curuli sedentem eum *Senatus* invasit, tribusque & viginti vul-

G 3

neri-

neribus ad terram datus est, & sic ille qui terrarum Orbem, & *hostili, ut ipse gloriatus est*, undecies centenorum & nonaginta duorum millium hominum, & *civili* quorum stragem in hanc rationem venire reculamur, cruore impleverat, tandem ipse sanguine suo Curiam Romanam implevit & inundavit! *Plinius Lib. 7. Cap. 25. Florus Lib. 4. Cap. 2.*

12. *Flavius Domitianus à Stephano Augusto Procuratore*, qui secretum ejus consilium petens, brevemque gladiolum sinistro brachio occultans, manum tanquam fractam multis fasciis lanisque per aliquot dies ad advertendam suspicionem circumligaverat, eique libellum legendum tradiderat. Huic cum saucius in cubiculo inguinâ suffossus repugnaret ac colluctaretur, septem vulneribus à libertis cæteris accurrentibus trucidatus est.

*Suspicionem caret non criminis ille frequenter,  
Demisso vultu qui sedet, atque tacet.*

*Quod cupis ut lateat, dicas faciâsve caveto:  
Sapè tacens odiâ semina vultus habet.*

13. Exemplum habemus etiam in *Sejano*, Consule toto Orbe Celeberrimo à *Clandio Tiberio Nerone* Amico nominato, post literis plecti jussu, in Carcerem detruso, in Tiberim projecto, Nomine è Fastis & Monumentis publicis deletu. *Vid. infr. Sect. 22. §. 25.*

14. In *Belisario*, Copiarum Romanarum Praefecto, *Pandalorum* excisore, *Parthorum* domitore, Urbis *Romæ* liberatore, qui post multas victorias *Justiniano* Imperatore mandante,

sive

sive *Triboniano* ejus Cancellario, cujus prima apud ipsum Principem erat auctoritas odio & invidiâ, adde etiam calumniâ affectati Imperii, satellitio & stipatoribus ademptis mulctatur & exoculatur, & ad hoc descendit, tam gravi tanque iniquâ pressus est Fortunâ, ut tugurium sibi prope viam constitui fecerit, in quo reliquum VITÆ transigeret, victum quæritans, & hoc subinde prætereuntibus dictitans: *Dote stipem Belisario*, quem rerum prosperè gestarum magnitudo extulit, & nec error; sed livor & inimicorum invidentia excœcavit.

15. Suam hoc Seculo *Rex Bohemie*, Belgis reliquit memoriam *Hage Comitissæ* dum viveret in exilio post Regni amissionem: Qui adeo sibi attendebat in edendo, ut quadram propriam digito tergere consueverit, ne minimâ quidem onbammatis micâ in frustraneum relictâ, subinde ingeminans: *Non sic erat quondam!*

16. Sed ne curramus ad *Indos*! Satis exemplorum suppeditat Europæ oblivioni tradita *Flia Hungaria*, quæ meritò nuncupari potest Fortunæ pila. *Vid. infr. Sect. XIX. lachrymas Hungaria per Prosopopeiam à me introductas, & ultima.* Atque argumentorum volubilitatem Rerum Mundanarum ponderantium proponere potest inibi Christianissima *Debrecinensium* Respublica explata, Mercatorum opulentissimum Emporium, nobis Natale Solum, ejusque Proceres, Magistratus, Consules & Cives qui heri floreabant, modò nudi in cinere sedent, quorum *Dignitas, Divitia & Nobilitas* periêre, multi VI-

G 4

TAM

TAM penes nihil amittere. *O quare non esset afflic-  
tus vultus meus, cum Civitas ipsa, locus con-  
crozum Majorum meorum, vastata, & portae ejus  
igne consumptae mancant! Nehem. 2: 3.* Ubi Ge-  
nitorem meum in Sanitate exoptatissima relique-  
ram, deficit unâ cum Genitore meo: Quod ha-  
sum ex literis 3. in *Hungaria Mense Majo* co-  
scriptis, *Lugduni Baravorum* nobis notificatum  
est. Vah sævitiam non in Christianis solum, sed  
& in ipsis ferocissimis Bestiis detestabilem &  
execrabilem! Redde! quo posuisti Vitæ coel-  
tûs mihi concessæ dilectissimum post Deum Pa-  
trem & Monitis & Exemplis generosè semper  
præeuntem, Politiorum Literarum Fotorem  
VITÆ meæ peregrinantis Tutorem? *Respondes*  
*Diem ultimum in Exilio oppetisse.* Proh dolor! Quis  
hoc est insperati infortunii? Tu qui VITAM in  
Pietate erga Deum, in Charitate erga Proxi-  
mum, in Temperantia erga Teipsum traducis  
Juventutem in Literis, his finitis *Debreçini* per-  
annos XIV. Scribam geris: post ad Consulatum  
eveheris, in quo divitiis collato officio per  
XII. iterum annos Legationes innumeras id  
Heroës tum Orientis, tum Occidentis semper  
Prudentissimè, Fortissimèque Pectore, ut tui  
moveris non mediocrem apud Homines admi-  
rationem geris & absolvis, Veritatem & Auto-  
ritatem Antiquam dignissimè asseris, vendicis &  
defendis, extra Patriam in Exilio cum omnium  
Tuorum Bonorum Mundanorum amissione,  
VITÆ Deo & Hominibus Charissimæ, *His pro-*  
*prietatibus* in rebus arduis & inopinatis præcipas,

ad

ad mecerorem & torturam VITÆ meæ peregri-  
nantis, quæ Te Duce salva erat, ultimum VA-  
LE dicis? Num quid? O me miserum & despi-  
catissimum Fortunæ volubilis pipientem Alum-  
num! Tu qui Prudentiâ Firmoque Pectore po-  
teras vincere fata diu Pater Pauperum?

*Factus es Hircana Genitor mi præda Leone,*

*Tæque peregrinus contumulavit Aper.*

Quid cupiam Generosè PATER? Quid op-  
tem? Vivat nunc Anima Tua ipsis cœlitibus  
conjuncta apud Deum, quem ex Animo coluisti,  
cujus Levitas toto nisu promovisti, qui Me Pri-  
mogenitum Tuum adhuc dum essem in Utero  
Materno velut Samulem aliquem Deo devovi-  
sti, natum Paternè educaisti, Literis imbui-  
sti, tandem cum Viceſsimum quartum, si quidem S.  
N. An. 1662. 4. Jan. sim editus in mundum, a-  
gerem Annum: Dixisti, *Hominem sine expe-*  
*rientia, esse Brutum sine ratione*: Nullumque  
Athletam perfectum haberi posse, nisi nobile  
quinquertium exercuerit: Nullum Militem cen-  
seri omnibus numeris absolutum, quin omnia  
armorum genera tractare, quin nunc cœsim,  
nunc punctim ferire, nunc levi velitatione,  
nunc statariâ pugnâ cum hoste experiri, nunc  
oppugnare, nunc propugnare didicerit: Et Ho-  
minem participem in hac VITA legitimæ pere-  
grinationis, maximè, contemplandorum Dei  
mirabilem, eumque celebrandi gratiâ, parti-  
cipem fore largissimæ retributionis in FUTU-  
RA. Itaque Studiorum & Experientiarum au-  
gendorum gratiâ, ut siquid Studia neglexerint

G 5

Ex-

Experientia compenſet, An. 1685. S. Jun. ægrè peregrè miſiſti. Pro quibus omnibus Virtuofis Tuis Facinoribus vivas in memoria Juſtorum, & in buſto in aliena terra excavato Tua molliter oſſa cubent, ubi exſpectent illuſtrem & noviffimum Solis Juſtitia exortum, ex morte ad immortalem VITAM, ex contemptu ad æternam Gloriam, ex ſomno inſenſibili od cœleſtium Gaudiorum participationem reſuſcitare, ubi tandem:

*Vive ſine invidia, mollèſque inglorius Annos*

*Exige: Amicitias & Tibi junge pares.*

Nullum Tibi Peregrinus in his Oris erigere Monumentum valeo; ſed hæc ſequentia JUSTA, Orbi Literario, Filiali Deſiderio, & madenti Calamo, exſolvam:

*Menſis erat MAJUS, totò ſuaviſſimus Anno,*

APATII Vita, quo duce finis erat.

Mandaces fugite hinc Faſti, néque dicite

MAJUS;

Sed trifti rigidus fronte DECEMBER erat.

*Menſis erat velut anxia, lurida, terribilis Nox:*

Nam PATRIAM VITAM dente laceſſit atrox:

Unde venenatæ pia ſumpſit arundinis iſtus

APATII cervix ſæva Megæra tuæ.

Proh dolor! Hic CONSUL vitavit arundinis iſtus

Nullus? Ab hac cervix cuſpide vulnus habet?

Stat

Stat ſua cuique dies; Suppreſſâque lingua palato:

Seriùs aut citiùs quemlibet urna vocat.

Ergo erat in Fatis morituram vivere VI-TAM

Te: GENEROSE PARENS, ut Tua lucra petas.

Hinc eſt, quod lacerare genas vel vellere crines

Parcam: Non primùm nunc Mihi raptus eras.

Cum Patriam amiſi, tunc Te periſſe putavi,

Et prior & gravior Mors erat illa Tibi.

Scribere pluralibet, Mentem tabeſcere curis

Eſt Vitium: Gaude Tu PATER orbe Tuo;

Diſce tamen, quamvis longâ regione remotus Abſim: Te Menti ſemper in eſſe meæ.

*Terra feret ſtellas: Cœlum ſindetur aratro:*

*Unda dabit flammas: Et dabit ignis aquas:*

*Omnia Natura præpoſtera Legibus ibunt,*

*Pârſque ſuum Mundi nulla tenebit iter*

Tunc: *En Fatidicum;* cum me Tua, Fama monebit

Oblitum PATRIS, immemorémque fui.

Verumenimverò novi me habuiſſe PARENTEM Mortalem! Novi proſperitatem Virtutum Novercam, quæ beatulis ſuis ſic applaudit, ut noceat ſic in via fortunatis obſequitur, ut in ſine perniciem operetur: Convivis ſuis

ab

ab initio propinans dulcia, cum inebritati fuerint lethale virus miscet: & si quid deterius est, quod specie sui clarescit amplius eò stupentibus oculis densiorem infundit caliginem. Audi Senecam in Hippolyto:

*Res humanas ordine nullo  
Fortuna regit, spargitque manu  
Munera cæca, peiora fovens.  
Vincit Sanctos dira libido.  
Fraus sublimi regnat in Aula.  
Tradere turpi Fasces populus  
Gaudet; eosdem colit, atque odit.  
Tristis Virtus perversa tulit  
Præmia recti. Castos sequitur  
Mala paupertas: Vniùque potens  
Regnat Adulter.*

17. Non est in Rebus Mundanis constantia: Unde Rex Sapientissimus Salomon Eccl. 1: 2. rectè ait: Habbel Habbalim Hachol Habbel: hoc est, Vanitas Vanitatum Omnia Vanitas. Nam corpus nostrum est imbecile & Forma fragilis, Valetudo incerta, VITA brevissima & fugacissima, Psal. 90. Jesa. 40. Jac. 4. 14. Honor vanus est, quia aut simulatus aut non diuturnus est. Nobilitas, Divitiæ, Fama tanquàm Iusus & Fortunæ voluptates insinceræ languidæ, freto atque æstui simillimæ: Testes sunt, ut ad ravim usque inculcem, Xerxes Persarum Rex ad Salaminam percussus. Gilimerus Vandalorum Rex à Justiniano Cæsare concatenatus. Pompejus ille Mag-

Magnus à Ptolomæo interfectus. Alcibiades Dux Atheniensium, Ingenio flagrantissimus, Nobilitate eximius, Divitiis abundantissimus, Formâ præstantissimus, Imperio summus: damnationem, venditionem bonorum, inopiam, odium Patriæ, exilium, violentam denique mortem: nec aut hæc, aut illa universa; sed varia perplexa expertus, à Plutarcho & Valerio M. ita descriptus. Cum his omnibus possumus ob mobilitatem & vanitatem omnium Mundanarum & Fluxarum Rerum exclamare:

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,  
Et fugiunt freno non remorante dies.  
Omnibus in Rebus Fortuna volubilis errat,  
Et manet in nullo certa, tenaxque loco.  
O Vanitatum Vanitas!  
Terrena cuncta perfida,  
Mundana cuncta sordida,  
O Vanitatum Vanitas!  
O Vanitatum Vanitas!  
Terrena cuncta noxia,  
Mundana cuncta pessima,  
O Vanitatum Vanitas!  
O Vanitatum Vanitas!  
O Misera Terrena omnia!  
O Umbra Munda omnia!  
O Vanitatum Vanitas!  
Ergo?*

*Cur Mundus militat sub vana Gloria?  
Cujus Prosperitas est Transitoria:  
Tam citò labitur ejus Potentia:  
Quàm vasa Figuli que sunt Fragilia.*

18. Nostro itaque consilio gaudeant Possidentes; sed prudenter, nec consolatione careant infortunati; vel si mavis juxta illud Horatii:

*Rebus angustis animosus atque*

*Fortis appare: sapienter idem*

*Contrahes vento nimium secundo*

*Turgida vela.*

19. Falluntur ergo vehementer & certâ cum sua pernicië cuncti, qui in Rebus ullis Mundanis, sive mundum ipsum supra & infra, sive se ipsos foris & intus, sive quæcunque in mundo geruntur, spectant, invenire se posse sperant firmum quidpiam, in cujus ademptione meritò conquescant: Nam ego contra iterum atque iterum affirmo, nihil esse mundanum in mundo, quod non sit inconstans, fluxum, evanidum, Vanissima denique Vanitas: Præclare itaque *Martialis* brevi; sed solido dicto VITÆ nostræ fragilitatem insinuat, dum ita canit:

*Pange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:*

*Ipsæ jubet Mortis te meminisse Deus.*

Ex quo illud consequitur, vanissima esse omnium illorum studia, qui à Rebus tam Vanis stabile quidpiam, nedum perenne & *Summum Bonum* expectant, cum & hoc ignoremus quid ferus vespere vehat. Sed longius nos impetus evehit provocante materia, itaque sic finiamus:

*Si Tibi pulchra Domus, si splendida Mensa quid inde?*

*Si species Auri, Argenti quodque massa quid inde?*

*Si Tibi Sponsa decens, si sis generosa quid inde?*

Si

*Si Tibi sint Nati, si Prædia magna quid inde?*

*Si fueris Pulcher, Fortis, Divēsve quid inde?*

*Si longus servorum inserviat ordo quid inde?*

*Si doces alios in qualibet Arte quid inde?*

*Si faveat Mundus, si Prospera cuncta quid inde?*

*Si Prior aut Abbas, si Rex, si Papa quid inde?*

*Si rota Fortune Te tollat ad astra quid inde?*

*Annos si Felix regnes per mille quid inde?*

*Pectore si diligit generosa Puella quid inde?*

*Tam citò, tam citò prætereunt hæc, ut nihil inde,*

*Sola manet VIRTUS quâ glorificabimur inde.*

20. Habemus ergo quod volumus: *Summum Bonum* Naturale esse, in recto usu *Libertatis Arbitrii*, seu, in Firmo & Constanti Animi proposito faciendi exactè omne id, quod optimum judicatur: Atque hoc est Virtutis exercitium, à nobis ipsis & non ab alio dependens, nulli periculo obnoxium, Æternum & Immortale, nemini noxium, Animum nostrum jucunditate summâ perfundens, hominésque maximo honore dignos faciens.

21. Hoc est *Summum* istud *Bonum* ex cujus possessione *Beatitudo Naturalis*, seu, Gaudium & Satisfactio adeoque Animi tranquillitas resultat; quam tamen ego *Beatitudinem* non effectum, vel Adjunctum *Summi Boni* dicerem; verum ejus necessarium Consequens: ut loquantur Logicorum Filii in Argumentis Subordinatis Secundi Generis Modo quodam Consentaneorum Argumentorum: Ita ut, qui potitur *Summo* isto *Bono* necessum sit eum *Mentis suæ Gaudio* s. Voluptate ex *Summo Bono* resul-

resultante etiam potiri, quæ producitur ex eo, quod animadvertat se omnium *Bonorum Summum* obtinere, quorum in Mortali hac VITA capax est: adeoque *Beatitudo*, *Summum Bonum* necessario præsupponit.

22. Dico *Summum omnium Bonorum*, quia impossibile est homini alicui simul omnibus Mentis Perfectionibus, omnibusque Corporis & Fortunæ donis excellere, quia omnia illa sine fine gradibus possunt augeri; tum quia ea species Beatitudinis nobis ferè usui non est.

23. Si verò quædam dona ex his nobis adfuerint & Voluptas aliqua ex iis exultaverit, fit cum iisdem Argumentis *Contingenter coordinatè*, & Voluptates in Animo nostro relidentur ad Laudem Dei, non in Rebus externis ad gloriam Corporis; quamvis oriantur ex iis per Corporis organa; quæ tamen fiunt Menti intimè præsentia, sicut dicimus Animam externa percipere objecta; quamvis illa oculorum ministerio deprehendat. Quare sola est quæ Voluptate afficitur, dum nimirum cognoscit se maximum omnium *Bonorum* possidere, quorum naturaliter capax est: Etiam quod *Felicitate* contingenter ditata sit.

24. Est ergo aliqua differentia inter tria Bona sequentia, viz. *Summum Bonum*, *Beatitudinem* & *Felicitatem*. *Illud*, est rectus usus *Liberi Arbitrii*. *Istud*, est mentis Gaudium & Tranquillitas ex *Summi Boni* possessione resultans. *Hoc*, est Bonorum Fortunæ: hoc est opum ac digni-

tatum, quæ non tam habemus, quàm habemur ab illis, anxia coarctatio, aut absque consilio, citraque indultriam, contingentia: Et hujusmodi homines, qui hoc Bono gaudent, dico esse Feliciores, quàm Sapientiores, quum quæ possident externa sint, & ad illos propriè non pertineant, & ex illis, quàm plurimi, sint Mente rudes & agrestes homunculi, ridenti Fortunæ, rident, figentique oscula, figunt, donec possunt, pluralitatem Amicorum enumerant, rotâ Fortunæ versâ soli manent, optimè sanè hoc idem Poëta expressit:

*Donec eris Felix multos numerabis Amicos,  
Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

25. Vides itaque quàm penes te sit Beatum esse si secundùm præscripta perseveres? Perfestina igitur te asserere Virtutum exercitio, ut in Tua potestate sis, nec volvaris aut rapteris alieno prolubio: utque Tibi in omnibus benè conscius, illæsus, & indemnus maneat, continenterque exultes: Quemadmodum enim perennis & lympidus fons mediâ ætate, quando scilicet, ob magnos & diuturnos ardores solis magna adest telluri siccitas, non destituitur humore refrigerante & recreante vehementi æstu laborantes & sitibundos: Sic nec Tu unquam destitueris consolatione *Summi* istius *Boni* & *Tranquillitatis* Animi, etiam si mutantur externa.

26. Si verò more Theologico quærat ex præcedentibus: Cur homines se convertentes, non illicò ad statum purum, pristinum redu-

cantur? Respond. I. cum cygneo Mose *Deut.* 32. *Perfectum est opus Rapis illius: At pervertunt se homines.* R. II. Dispar est ratio quæstionis: Dabo Simile, quod sit Acuto Lectori, locò responsionis: Si quis inciderit in lutum profundum & se intus & extus maculaverit: hoc est, corpus conspurcaverit; stomachum verò luto impleverit: Quæritur? num ad bene esse illius lotio exterior sufficiat? Alia sunt omnino lutum & stomacho everruncandi & expurgandi innumeris parasangis necessaria remedia, sine quibus quamvis extus: tamen intus valetudinarius esse potest: Non enim est volentis neque currentis; sed solius Dei misericordis, *Rom.* 9: 16. R. III. Et, si talia essent opera Dei, ut facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda. Deus æternus & immensus, infinitaque potentia, facit magna & inscrutabilia in cælo & in terra, nec est investigatio mirabilium operum ejus. Fateor me multa & magna ex veritate illa Judicis Christi educere *Matt.* 8: 11, 12. *Dico vobis multi venient ab Oriente & ab Occidente, atque assidebunt in Regno Dei Abrahamo, Isaac & Jacobo: Filii autem Regni* (quæis revelatio literalis obligit, quam, Spiritui oblectantes, tantopere jactantur,) *efficientur foras, ubi ejulatus & stridor dentium.* Et Apostoli Pauli *Rom.* 2: 10, 11. *Gloria, honor & pax omni operanti bonum: Judeo quidem primum, (illi cui externa revelatio concedita est) Deinde Græco, (qui ejusmodi prærogativa privatus, inter Gentes habitus est:)*

Non

*Non enim est Deus acceptor personarum, (Non is est qui ob externas res, ab hominis animo, seu bono seu malo independentes, homines probet vel improbet posthabita mentis & voluntatis dispositione intimâ, cujus tamen se dicit Scrutatorem.)* Nec movet me receptum & inveteratum istud præjudicium: Quorundam bona opera, *qui sint illi, Prudens Lector tenet,* vel Virtutes, sint splendida peccata: Secus sensit Veneranda Antiquitas, ubi purissimi Christiani non paucos, *ex subintellectis,* verè Beatos arbitrantur; ita *Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Epiphanius* & si qui Primitivæ Ecclesiæ illorum Seculorum: Immo docti & pientissimi ex ultimis hisce *Seculis Zwinglius, Lutherus, Sebastianus Franck, Franchenbergius, J. Bohemius* & alii. Nec sine ratione: *Spiritus enim ubi vult spirat,* Os Veritatis ait, *Joh.* 3: 8. Et Gratia supernaturale Lumen, & quoddam Dei speciale donum est, & propriè Electorum signaculum & pignus salutis æternæ: quæ hominem de terrenis ad cælestia amanda iustollit & de carnali spiritualem facit. Quantò igitur Natura amplius premitur & vincitur tantò major Gratia infunditur & quotidie novis visitationibus interior homo, secundum Imaginem Dei, reformatur. Etiam quòd, recta ratio & naturalis investigatio fidem sequatur non præcedat, nec infringat, nec Deus ipsi contrarietur velut operi digitorum suorum. *Thom. Kemp. De Imit. Christi Lib. III. Cap. LIV. & Lib. IV.*

H 2

Sectio

*Sectio XIII. De Munere Hominis in Genere,  
& de ejus Actionum Regula.*

1. **Q**Uæ hæcenus monuimus mox sufficerent ad VITAM civilem TRIUMPHANTEM exornandam; illa enim sunt Rectæ Rationis officia, et si *Generalia*; tamen monent HOC AGE, unde fiunt & *Specialia*, ad omnia hominum Officia ad minimum formaliter & virtualiter se extendentia. Pondus addit, quodd ad Socialitatem & Munera obeunda facti sumus: Officia in istis, quæ nos tangunt lustrare in sequentibus necessario debemus: Non enim ab omnibus æqualiter arvina, cujus ope rota Officiorum istorum volutatur, propter ignorantiam aut ignavam adhibetur: Igitur *Munera Hominis in Genere*, mox *Boni Civis in Specie*, & quid *Uterque* tanquam Honestum, & quid tanquam Turpe secundum Naturæ præscripta apprehendant vel omittant, pressius & strictius & quasi locupletius enucleare, & servato VITÆ TRIUMPHANTIS Titulo, per modum instigantis immensi calcaris, Coronidisco loco apponere cordi est.

2. Non tamen est mihi animus hæc loci totum *Jus Mundi*, tum latè, cum strictè sic dici valens comportare: Nec omnium placita rationis Lydio lapidi affricare; hoc enim nimis esset laboris, in immensum enim apud Ictos excrevit, MEI & TUI primi discordiæ principii ratio,

- - *Quæ*

- - *Quam si comprehendere coner,*  
*Icaria numerum dicere coner aquæ.*

Succinctè ad Rem: Et haud oscitante oculo spartæ quam contendimus, inspiciendum.

3. Homo secundum præcedentia si voluerit ex Libertate suâ, Virtutes exercere poterit, & factorum suorum conscius esse potest; quoniam inter Animantia solus est Obligationis capax, si Voluntas ejus accedat etiam se ipsum Obligare potis erit: *Illinc Conscientia, Hinc Obligatio* lucis ergo ad Posteriora nobis trutinanda veniunt.

4. Miraris quodd Conscientiæ tractationem in medio operis collocaverim: Desine mirari quod natura talit: Ejus enim officium est Judicem agere & in medio Litigantium litem dirimere. *Judicate queso inter me & vineam meam, Esa. 5: 3.* Hic quoque ut eodem fungeretur officio copias in aciem ordinatas, ad dextram, lævamque positas stimulo suo quasi instigaret & mastigaret, intendimus. Falcem latæ messi non immitteremus: Magnus enim *Amesius*, ante illum *Perckinsius*, tractatus locupletissimos de *Conscientiæ* edidère, unde nobis superficiali tantum tractationi inhærendum, ne farinam, *quod dicitur*, molitam molere, & *Iliada* post *Homerum* pertexere, videamur. Angelicæ Conscientiæ consideratio non est nostri fori.

5. Quid autem nos Conscientiæ nomine intelligimus? *quando*, Malorum & Bonorum testificationem quam quisque in Mente sua experitur & judicat aliquid *liberè* faciendum esse

H 3

vel

vel non faciendum, *dicimus*, facile animadvertit quis.

6. Addo *Liberè*; habet enim unus quisque potestatem se judicandi liberè, Apostolo inuente: *Si nosmet ipsos*, inquit, *dijudicemus, non judicemur*, 1 Cor. 11:31. hoc est, Habemus Libertatem Actus nostros liberè judicandi, & quòd nos ipsos sopiamus, iudicium de Actibus non feramus, & in omne malum præcipientes ruamus, inde est quòd iudicium alterius nobis imminet.

7. *Liberum Arbitrium* oculos intendit in Conscientiam propter praxin: Unde Conscientia debet esse practica, Actus exercens, circa Bonum & Malum, quæ secundum rationes quibus impellitur varia sortitur nomina.

8. 1. Vocatur *Dubia* s. *Infirma*, quando est in bivio & æquilibrio assensum cohibendo, & rationes utrinque propendentes pensitat ope Liberi Arbitrii iudicium suspendendo, per *Reg. I. Sect. VI. §. 2.*

9. 2. Vocatur *Erronea*, quando, loco Boni Malum eligit, aut contra. Hinc distribuitur in *Vincibilem* & *Invincibilem*. *Vincibilis* tunc dicitur, quando adhibito examine, & sufficienti diligentia, ne in errorem labatur cavere potest. *Invincibilis* verò, quum præmissa attentione, adhibitæque quantum vires sinebant curâ, vitare errorem non potuit, unde & nomen quasi *Tenebrose* s. *Ignorantis* sortitur, quando illa, quæ supra se collocata esse opinatur velut ad se non pertinentia ignorare gaudet.

Hinc

Hinc invaluit dictum apud *Subtilissimum Scaligerum* & *Cl. D. M. S.* Nescire velle, quæ Magister Maximus Te scire non vult, erudita inscitia est.

10. 3. Vocatur *Probabilis*, quando rem propositam arbitratur esse committendam; sed quare hoc faciat rationes eloqui non valet: per modum Poëtæ dicentis:

*Non amo Te Sabidi, non possum dicere quare:*

*Hoc tantum possum dicere non amo Te.*

Quandoque autem rem aliquam duntaxat est Superiorum Auctoritate vel consuetudine receptâ, sequitur. Hinc, Consuetudo non facit Passionem.

11. 4. Vocatur *Restâ*, Amelior Bona, quando de rebus amplectendis aut fugiendis ita imbutur, ut claras & distinctas suæ perceptionis adferre rationes valeat quibus contradici non possit. Talia sunt principia præcæta: Deum esse amandum; tanquam Creatorem Liberum: Deum non esse peccato obnoxium: Virtutes esse sectandas: Mala fugienda: Quisque se ipsum debet conservare & perficere. Quod Tibi non vis Alteri non feceris. Quæ sunt principia inde monstrabilia, quia per clariora demonstrari nequeunt, & illa demonstrare adhuc dum ulterius, apud Mentem L. A. B. D. esset Solem, quod dicitur, face illustrare. Seu paucioribus verbis, Bona Conscientia est, quæ iudicat bona esse, quæ reverà Bona sunt, Mala quæ reipia Mala. Sed NB. *Felix qui potuit Rerum cognoscere Causas.*

12. Hæc si notaveris, & omnia tam præce-

H 4

den-

dentia, quàm sequentia benè ruminaveris facili negotio designare poteris, hæc, vel illa Res, quali Conscientiâ vel objectivè, vel subjectivè gaudeat.

*Sectio XIV. De Obligatione, vel si mavis, Obsequio in Genere.*

1. **N**unc transeamus ad Obligationem, quæ est Juris Vinculum, quo necessitate, ut loquitur *Justinianus*, adstringimur alicujus rei solvendæ. Verùm h. m. sumptam Obligationem, ex meis præmissis, Libertati Indispositæ competere magis judicarem; quamvis huic etiam multum improprie, quàm Libertati Benè dispositæ; hæc enim Libertas præsupponit Rei Bonitatem, Honestatem & Utilitatem, quæ etiam ultrò sequitur: Unde ad Obedientiam necessitate compulsâ non adigitur; nulla enim res in Libertatem agere potest, quoniam est sui juris, non determinatur, sed semper determinat. *Sect. IV. §. 2.* Unde nec Obligari potest: hoc est, necessitate adstringi alicui rei nequit, nisi se ipsam determinet ad hoc vel illud agendum. Audeo affirmare: Nullam esse necessitatem, quæ Liberum Arbitrium *secundum dictum*, necessitare posset. Illa res, quæ necessitare posset si sit Bona, Liberum Arbitrium Benè Dispositum ab ea non necessitatur; ultrò enim rem talem sequitur, & illa res fuit ipsi tantum occasio ad sequendum Bonum: Si verò sit Mala, Liberum Arbitrium suspendere potest, & se determinare liberè ad admissionem, vel

vel omissionem, non quasi necessitaretur ab ea, cum reverà Liberum Arbitrium & ex eo Voluntas necessitari & cogi non possit, testes sunt Martyres, quibus stetit pro ratione Voluntas: Hoc idem omnes Moralistæ; immò & Icti unâ mecum rotundo ore fatentur: *Coacta enim Voluntas*, inquit Ictus *D. Matthæus* in Comment. de Regul. Jur. p. 41. non est Voluntas. Voluntas per essentiam Libera est, adeò ut, Libertate detractâ, Voluntas desinat esse Voluntas, *Scalig.* Exercit. 307. l. 25. De qua Libera Potestate dicimus verè & omnium Gentium consensu: Volo Velle, Volo Nolle. *Scalig.* ibid. Quod ipsum *Cl. D. Paulus Lisznyai*, Professor Debr. Præceptor noster olim Privat. & Public. nunquam sine Honoris Præfatione memorandus; Exemplo cujusdam Viri ostendit, qui dum Ethicam docuisset Liberum Arbitrium esse incogibile affirmavit. Contigit aliquid sceleris illum commisisse & suspensionis damnas factus recalcitratione suâ, Spectantibus patefecit Liberum Arbitrium cogi non posse; sed quod ipsi placet admittere vel amittere, de intellectuabilibus intellige. Mitto hæc ne crambas recoquere videar, satis patet perspicaci, quid contendimus.

2. Sed quoniam hic tractatus est Ictorum, agamus cum Ictis, & si aliud clari invenire possimus inquiramus. Dicunt Icti omnem Obligationem esse Juris Vinculum: Obligatio Civilis est Vinculum Juris Civilis: Naturalis Vinculum æquitatis *L. 95. §. 4. de Solut.* Civilis mera Rigoris seu ἀντιβωδισ. *Just. Inst. de Exc. in. pr. Vinus p. m. 408.*

3. Tres hinc videmus Obligationes, *Civilem*, *Naturalem*, & *Civilem meram* seu nudam. Sacratissimus Imperator *Justinianus Inst. L. 3. Tit. 14.* Dum tractaret Obligationem, per *Obligationem* non intelligit Naturalem Obligationem, interprete *Cl. D. Vinnio p. m. 408.* ex ea enim Jure Civili agi non potest, etsi *Moralem*, ut illi loquuntur, necessitatem adjunctam habeat; veluti quæ ex nudo pacto nascitur *L. 7. §. 4. de Pact. juncta L. 84. §. 1. de Reg. Jur.* Non Nudam & meram *Civilem*, quæ propemodum sine re est, & exitu inutilis. *L. 3. §. 1. de Const. pec. L. 112. de Reg. Jur.* Ergo, Obligationem *Civilem*, quæ est Vinculum Juris Civilis. Per necessitatem autem intelligit illam, quæ oritur ex Actione, quam Obligatio Civilis parit. Vocabulum autem *Rei* apud Ictos sumitur tam latè, ut ipsum quoque factum comprehendat. *L. 1. in fin. de Reb. Cred. L. 3. de Oblig. & Act.* Nos autem hinc loci, nomine Obligationis omnem intelligimus Obligationem, *Viz. Naturalem, Civilem* s. Vinculum Juris Civilis, & *Civilem nudam*, quæ ex istis contingenter sequitur.

4. NB. Prout superius, *Secl. XI. §. 5, 6, 7.* locò Observantiæ adoptabam terminum Obsequiurita hinc, ut rationes se offerunt locò Obligationis eodè Obsequii termino malim uti; Obsequium enim excludit necessitationem. At Obligationis idea non potest esse sine idea necessitatis. Ita tamen hæc sumi velim ut aliqua vis; verum non crassa Obligationis maneat in Obsequio, & quasi cum eo commisceatur, quam

quam vim vocare possem Relationem, prout *Cl. D. Ulricus Huberus* Obligationem & Obsequium per modum Logicorum Antecedentium & Consequentium sumit, in *tr. De Jure Civit. p. m. 318. §. 14.* Quod autem in sequentibus Sectionibus terminus Obligationis occurrat, 1. Liberalitas Relationis illius, quam inter duo concipio, largitur. 2. Eatenus sumitur, quatenus ipse Homo se liberè accingit alicui muneri capeffendo: hoc est, se determinat ad hoc aut illud velle aut nolle, vult velle, vult nolle, vult facere, vult negligere, Libertate manente in sua potestate. 3. Admitto vocabulum Obligationis valere in Terminò, à quo procedit; sed in Terminò, ad quem, s. Objecto, non semper eodem modo se habet; potest enim Objectum per Liberum suum Arbitrium eludere eamque variare prout vult: Hic autem nos agimus de Objecto Obligationis seu Terminò ad quem, cui commodius vocabulum, ne difficultas aliqua nos volutet adscribimus, Obsequium scilicet. Quasi procatartice loquemur etiam de Terminò à quo.

5. Dico hoc etiam: Distinguendum est inter hoc, & istud Obsequii superius à nobis habitum: Ibi enim spectatum erat ut loquimur in *Fieri*: At hinc postquam limites Socialitatis & Munerum salutare incepimus & in ista officia introgredi satagimus, debet considerari in *Facto* s. in Praxi.

6. Obsequium præstare debemus erga omnem Legem si sit justa & legitima, ut nihil quod divinis præceptis adversatur præcipiat. Leges

Leges Naturales inscriptæ omnium hominum cordibus cum sint opus Pii Opificis, sunt iustissimæ & legitimæ, unde illis Obsequi velex naturæ ductu debemus. Leges Civiles præscribi ab alio, Superiore scilicet, pro vivendi Regula debent: Uti sunt *Edicta* seu *Rescripta*, velut *Epistole* aut *Decreta*. Ac idcirco oportet, ut quis hoc modo Obsequiosus fieri queat Superiorem habeat, & conditis ab eo Legibus, debere se obtemperare agnoscat, Deum cognoscat. Bene *Arist.* 3. *Politici*: *Qui Legem præesse jubet, jubet præesse Deum.*

7. Ex quibus patet, *Legem* prout Rationis ordinatio est, homini ostendens quid admittendum, quidve omittendum sit, duplicem esse: *Divinam* & *Humanam*. Divina illa est, quæ à Deo immediatè instituta est. Humana illa est, quæ ab Homine proficiscitur, quæ diversa est pro varia Regiminis Politici specie. Quarum omnium Virtutes, sunt quatuor ab Ictis enumeratæ. 1. Imperare. 2. Vetare. 3. Permittere. 4. Punire. *l. VII. de Legib. Cl. Ulric. Hub. De Jur. Civit. p. m. 474.*

8. Omnes Leges Humanæ debent castigari ad normam divinorum Præceptorum secundum Rectam Rationem: Iniquum enim videretur, aliqua Civibus observanda & imitanda præscribere, quæ divinæ Legi detraxerent, aut Rectæ Rationi contrariarentur, & ex quibus nullum emolumentum ad ipsos Cives redundaret; immò hoc si fiat, vim suam perdit Cives ad Obsequium alliciendi; quoniam Juris Divini & Naturæ prius ac superius haud dubiè est Obsequium, quod non  
ut

ut ab Homine mutari posset; nedum à Deo. *Respectu Dei non*, quoniam Deus inspecto fine, quem liberè sibi proposuerat & indole naturæ rationalis à se formatæ per *Legem Aeternam* certis actibus necessitatem moralem imposuit, ad quem se ipsum alligavit, ita, ut per *Legem Aeternam* hic intelligamus regulam actionis honestatis liberæ, non quasi imposita sit ipsi Deo, aut voluntas Divina concipienda sit tanquam honesta & recta propter conformitatem ad *Legem Aeternam*, cui subjiçiat. Deus enim est omnino Liber à lege, & idè quod vult, iustum & conveniens est, non nititur in vetitum neque cupit ipse negata; id autem quod est injustum & indecens, non cadit in ejus Voluntatem, non propter *Legem*, sed quia non pertinet ad ejus Voluntatem & Libertatem.

9. Ideoque gravissimè hallucinantur, qui *Legem Aeternam* à Moralisticis in eò sensu capiunt, ut Lex hic in propria significatione talis sit. Sanè si hoc verum esset, sequeretur: Eam esse *Naturalem* aut *Positivam*. Sed neutra est. Ergo nulla. Utræque enim superior est eò, quem obligat aut ad Obsequium provocat. Deus autem non habet superiorem, neque se ipsum per modum præcepti aut legis obstringere potest quia non est superior.

10. Porro si Lex esset Positiva; hæc prohibet aliquid vel in faciendo vel omittendo: At verò si ponatur: aliquid esse prohibitum cui Deus contraria faciat, tamen bonum erit, quia à primâ bonitatis regulâ factum est: Quare non obstante quacunque Lege à Deo posita circa rerum

gubernationem, potest illam non servare suâ potentia absolutâ utendo, ut circa præmia vel pœnam retribuendam & similia, quia non obligatur ad servandam Legem, qui est supremus Dominus & extra omnem ordinem.

II. Si esset Lex Naturalis: Ea, quæ fieri videmus à Deo, perpetuò eodem quasi modo comparata, haberent rationem Legis respectu divinæ Voluntatis, quod falsum. Quocūq; enim modo Deus agat, non tamen illa habent rationem Legis respectu divinæ Voluntatis, quia non proponunt præceptum aliquod, sed tantum indicant, quid rei natura habeat. Sed quòd dicimus: Deum se ipsum alligasse *Legi Æternæ*, sic intelligimus: Postea quàm Deus absolutè decrevit: aliquid non facere, Deus non potest facere contra suum decretum, non quidem propter prohibitionem, quam decretum inducit, sed propter repugnantiam ipsius, quia si ageret contra Decretum absolutum, haberet simul & ex æternitate decreta contraria circa idem, & pro eodem tempore, seu absolutè vellet duo contradictoria, quod repugnat & implicat. Ideoque impotentia Voluntatis divinæ hòc respectu contra decretum non est ex prohibitione, sed ex natura rei. Quippe aliàs poneremus aliquam privationem & imperfectionem in Deo, quæ de eo sine summo scelere concipi nequeunt.

12. Jus Naturæ respectu Hominum est immutabile, non aliter, quàm quatenus à Deo talem naturam homo accepit, ut positâ eâ conditione non potuerit non moralis necessitas ipsi injungi,

certos

certos actus suscipiendi aut amittendi, qui proprie à naturaliter honesti aut turpes sunt, ita, ut & hoc homini *Lex Æterna* sit. Ad quod rectè, ritèque intelligendum, opus est distinctione, inter tempora *Legis* istius *Æternæ* constituendæ & constitutæ, & quod hanc distinctionem sustinet, inter *Necessitatem Absolutam* & *Hypotheticam*. Scilicet quia aliquid esse Juris Naturalis adeoque *Legi Æternæ* conforme probatur ex convenientiâ & disconvenientiâ necessaria cum naturâ rationali ac sociali; socialis autem natura homini insita est non ex inevitabili immutabilive necessitate, sed divino beneplacito & voluntate, ideoque facile colligitur illam *Æternam*, ratione temporis, quò constituenta erat, non dici; quasi aliter esse vel fuisse non potuerit, verum posteaquàm jam constituta erat, æterna & immutabilis facta sit. Atque hoc est, quod *Dn. Puffendorff. lib. 1. de I. N. & G. c. 2. §. 6.* dicit: quòd natura rationalis ac socialis homini attributa sit & competat non ex necessitate *absoluta* sed *hypotheticâ*, quamvis hæc distinctione non omnino alio utatur sensu adversus *Grotium*. Ad quæstionem ergo: *An Jus Naturæ sit immutabile?* Resp. quòd sit: Quia ex decreto divino seu *Legi Æternæ* sic creaturæ rationali est insitum, adeoque apparentem tantum, si qua contingit, esse mutationem, vel ut *Grotius*, *imaginem quandam fallere incantos*, cum reverà Jus Naturæ non mutetur, sed res de quâ Jus Naturæ constituit, quæque mutationem recipit. *Expl. vid. ap. Grot.*

l. 1

I. I. c. I. §. 10. n. 6. Ne quidem à Deo, scilicet propter factum à Deo decretum non ut prohibitum, sed quia fallere & inconstantem esse repugnat Divinæ Naturæ, & Divina Potentia se non extendit eò, quod contradictionem involvit. *Vid. plur. ap. Cl. D. Joh. Febr. I. V. D. in tr. De Pr. inter Hom. L. ex I. M.*

13. Non ergo debent Leges Humanæ divinæ Legi aut J. N. contrariari: Sin secus? Nihil ad rem, præsertim apud Hominem L. A. B. Dispositum, qui totus quantus est imbutus Axiomatibus, quibus quid eligat, quidve fugiat, quid agat, quid non agat, constantissimè discutit. Non possum non enumerare ad nostri commodum; cum sint usus, fructus & effectus hactenus monitorum.

14. 8. Id Bonum existimat, quod Naturæ intellectuali conveniens est, quodque secundum suam conditionem commensuratum est, & ad percipientis conservationem aliquid confert.

15. 2. Id Malum reputat, quod Naturæ intellectuali secundum ejus conditionem adversatur, & illi tristitiam, aversionemque sui parit, & si destructionem ejus minatur, pro pessimo habet.

16. 2. Constat illi non omnia Bona esse æqualia, ut censere Stoici, sed alia aliis potiora & excellentiora vel naturâ, vel duratione, vel utrisque. Sic Deus præstat Angelo & Homini, iste, huic, hic, Belluis: Unde, Boni valorem dupliciter considerat. Semel *Intensivè*, quod maxi-

maximam parit *Satisfactionem Mentis*. Alio modo *Extensivè*, quò latius se diffundit, & magis tendit in Bonum Universi. Ex quo ejus duratio tandem sequitur; quoniam quò durabilius est Bonum, eò præstantius reputatur.

17. 7. Constat illi, Bono peculiare esse, ut Voluntatem moveat, eamque ad sui Electionem alliciat: Malum verò contrarium effectum parere.

18. 7. Siquid contingat, cujus naturæ ignarus sit, iis tutò credit qui se expertos asserunt; modò de illorum peritiâ illi constet, pateatque nullam subesse fraudem, aut cupidinem aliquid emolumenti illinc arripiendi.

19. 1. Quamvis dubius sit rerum eventus, si tamen aliquod Bonum apprehendat certò futurum, ad illius acquisitionem tantundem operæ impendit, ac si præsens esset; sperat enim se illud aliquandò occupaturum.

20. 1. Dat operam in rebus discernendis ut à præjudiciis Infantia & Passionum illecebris liber sit, ut Intellectum clarum, Voluntatem in Eligendo non vacillantem nancisci queat.

21. Horum Axiomatum ope Ethicas Demonstrationes format, Virtutes explicat, easdem sibi ingenerat. Officia autem quæ aliis præstare debet hoc Axiomate Generali comprehendit: *Quod Tibi fieri non vis, Alteri non feceris*. Quod apud ipsum in *Moralibus* tantum valet, quantum in *Divinis* Charitas omnes Virtutes complectens.

22. Leges jam Humanæ, si ad hæc Axio-  
mata conspirent, tum nihil periculi; iis enim  
alis, dextrâ, lævâque advolat: Si autem con-  
trarium in usu videat: Consuetudinem sine Ve-  
ritate, vetustatem erroris esse nuncupat. Et  
cum cunctos mortalium ad gloriam mundanâ  
veluti ad præmium uberrimum lucubrationum  
suarum imprudenter collineare videat: Ille con-  
tempto honore ad inquirendæ veritatis studium  
unicè se confert, Constantiam vindicat, mala  
oppugnat; immò in nihilum fumat.

*Sectio XV. De Officio Hominis erga Pium  
Opificem.*

1. **A**ctionem quæ fertur in objecta diversa in  
suis visceribus Obsequium comprehen-  
dit, quam sic distribuam. *Prima* ob oculos po-  
nit, quomodo nos erga Deum solo Naturæ du-  
ctu gerere oporteat. *Secunda*, quomodo erga  
*Nosmet-ipsos*. *Tertia*, quomodo erga *Proximum*.  
Quippe tribus istis Officiis totum Hominis Ob-  
sequium absolvitur, quod ab Apostolo, *Tit. 2.*  
12. etiam innuitur, istis: *Piè, Temperanter &*  
*Iuste. Illic* in ordine ad Deum. *Isthic* in ordine  
ad *Nosmet-ipsos*. *Hic* in ordine ad *Proximum*.  
Hæc via nobis terenda in sequentibus.

2. Leges, quibus Homo erga Pium Opifi-  
cem Obsequiosus esse debet, ad duas partes re-  
ducipossunt. *Primò*. Ut de P. O. Homo bene  
sentiat, verâque ejus Naturæ, Perfectionum-  
que Ideam efformet. *Secundò*. Ut ejus Voluntati

voluntatem suam conformet, piaculumque arbi-  
tretur, tantillum ab ejus Beneplacito aberrare.

3. His Officiis satisfacere satagit, qui ea  
quæ sunt Dei, soli Deo assignat: hoc est, Deum  
*Unum, Immensum, Immortalem, Infinitum,*  
*Incomprehensibilem, Incorporeum, &c.* veluti  
profundissimum omnium Perfectionum Pela-  
gum apprehendit, & in eo *Essentiam & Exi-*  
*stentiam*, Rerum extra Deum, *Essentiam &*  
*Existentiam* innumeris paralangis superantem,  
identificari & unâ eâdemque notione conti-  
neri concipit.

4. Sic cum Deum dicit Ens Perfectissimum,  
nonmodò *Essentiam* ejus apprehendit: At si-  
mul intelligit in eadem apprehensione inclu-  
sam *Existentiam*: Si enim non habet *Existen-*  
*tiam* id, quod omnem Perfectionem habet,  
tum idem simul habebit omnem Perfectionem,  
& simul aliquâ carebit, quod implicat.

5. Eundem illum Deum *Aspectabilis & In-*  
*aspectabilis* Mundi Fabricæ Opificem Pium  
esse asserit & affirmat, nihilque in eo reperi-  
posse, quod ab eo productum non sit, & quod  
idem ille Deus per suam *Manutentionem* persi-  
stere faciat Res omnes & Universales & Sin-  
gulares extra se, tam quoad *Essentiam & Exi-*  
*stentiam*, quàm quoad vires.

6. Denique, postquam animadvertit omnia  
Agentia Intellectualia Acquiescentia agere se-  
cundum Naturam suam: hoc est, proponere sibi  
Intellectû aliquid in quo acquiescant prout vo-  
lunt: hoc est, agere propter *Finem*: Nos adhor-

tatur ut in Contemplatione Dei assurgat ad Contemplationem *Finis* ejus, quem scilicet sibi Deus in Rerum naturâ, statû, regimine, proposuerit *Finem*? quò scopò, quibus rationibus, quò motivò Res ita disposuerit? Profectò hoc mihi non videtur esse paradoxum, culpabile & temerarium; Immo affirmare auiam nihil certius, facilius & jucundius esse cognitum, quàm cognitiones de *Finibus* & Demonstrationes ex illis, tantummodò Nos ipsos ne occæcemus. Faciamus itaque periculum ab incunabulis Rei.

7. Omnis *Finis* respectu Dei est vel quoad *Essentiam*, vel quoad *Placitum*. *Finis* quoad *Essentiam* planè nullus est absolutè necessarius præter Deum ipsum in pura & sola *Essentia*, excludens omnes res, naturas, ideas, præter Deum, qui ad hunc *Finem* solus ipse sufficit: unde ut Deus ullam ex his Rebus agat, producat, statuatur, ut *viz.* acquiescentiam perfectissimam inveniatur non est necesse, quem *Finem* Absolutum & Independentem nuncupare possumus.

8. *Finis* quoad *Placitum* est, quo voluit ex lubitu suo alios *Fines* esse, non propterea quasi ex illis necessariam & essentialem acquireret Beatitudinem & acquiescentiam; verum ut extra suam *Essentiam* in operum suorum contemplatione lætaretur & acquiesceret, & delicias suas intra se, saliret deliciis extra se: Quod h. m. *Demonstratum* ibo.

9. Deus est Ens Summè Perfectissimum, *Señt.* 2. §. 1. & Constantissimum, *Señt.* 3. §. 3. &

& Cogitatio secundum modum suæ Naturæ congruum agens, *Señt.* 5. §. 1. & in se affatim deliciarum suarum habens: Unde, si extra *Finem* quoad *Essentiam* adhuc alium aliquem contendat, alius esse non poterit, quàm lætari & acquiescere in suorum operum contemplatione: Nihilque extra se poterit intendere, quàm lætari & acquiescere intelligenter in illis, quæ voluit: unde debent esse sine exceptione ipsum Deum referentes & representantes creatæ Imagines & Icones: *Demonstratur*: quia modus quò Deus lætatur & acquiescit intelligenter extra se, est per modum illius, quò lætatur & acquiescit intra se. Atqui hoc, fit in lætitia & acquiescentia Naturæ Divinæ Imagine & Representatione essentiali, *Señt.* III. Ergo si debet Deus ex *Placito* suo lætari extra se, debet lætari & acquiescere in suis Imaginibus & Similitudinibus: Unde Res debent creari ad representationem Dei; nec omnino hoc aliter se habere potest: hoc est, debent esse & fieri in summa, quantum sua genera & essentiæ participant perfectione, pulcritudine, & felicitate, sive concordantia cum Deo, secum, & cum cæteris, quæ sibi invicem de suis quibuscunque certatim bonis faveant: *Demonstratur*: quia hæc est ipsissima Dei originalis Imago, ut is sit tam Perfectus, Pulcer, & Ordinatus, Felix, sibi secum sua Communicans & Favens, ut magis talis esse essentialiter non possit, & magis in se acquiescere & lætari: Ergo ejus representatio vera externa debet esse tam Per-

fecta, Pulcra, Felix, cum cœteris Concordans, ut magis cogitari non possit, & Deus non possit in illa maiorem lætitiâ & acquiescentiam habere, quàm habere voluit in una quâque pro suo modulo.

10. Hæc sunt duæ *Demonstrationes*. 1. De *natura Finis Dei* quoad suum Placitum. 2. De *natura Creaturarum*, suarumque Proprietatum præcipuarum. Ordo postulat, ut *Felicitatem*, *Beatitudinem* atque *Perfectionem Aeternam*, in quantum Dei intentio ad ipsas creaturas consideratur, esse *Finem* Creaturarum *Demonstremus*: *Demonstratur*: Pius Opifex in Creaturis suam Imaginem & Representationem intendit: Pii autem Opificiis Representatio & Felicitas, Beatitudo, Perfectio, etiam in agendo à suâ Imagine nusquam discedit ut Ens suâ natura Constantissimum, adeoque æternum idem vult agere: Ergo ut suæ Creaturæ sint Felices, Beatae, Perfectæ æternum, & ut in illis lætari, acquiescere possit in solidum & æternum, vult in æternum. Q.E.D.

11. Deinde, aliquod Dei Placito particulari positum, aliquem Dei modum agendi, *quem jam percepi*, seu aliquam subjecti cuiusdam naturam particularem, *quam etiam animadverti*, ex *Fine* *Demonstrare* possumus.

12. Pium Opificem in suo aliquo Opere quantum fieri posse supponi potest atque summopere, Supponamus lætari & acquiescere velle intellectivè: Idcirco cogitationem præditam intelligentiâ, Amore & Libertate Illimitatâ, à

Pio

Pio O. produci debere dico: *Demonstratur*: Quia Deus non potest summopere delectari nisi in Representatione summopere ipsum representantes Vivide autem vel summopere Res aliqua bruta Eum representare nequit: Ergo sit Res Cogitans necessum est, & Naturæ Dei analogiam habens, cum Deus melius representari nequeat, quàm à suâ Naturâ: Ergo & extra se à suâ ipsâ Naturâ, in quantum ipsa extra illum esse, *modo creabili & participato*, potest: Ergo sit intelligens Dei oportet, nam Deus se intelligit: Ergo & amans Dei modo nobilissimo, infinito, illimitato, non coacto: hoc est, Cogitationem Intelligentiâ, Amore, Libertate gaudentem esse oportet. Et quia non datur major lætitiâ & acquiescentia quam inter cœquales, sequitur illam aliquomodo Deo debuisse fieri cœqualem; quod cum non possit esse in sua Natura absolute considerata, cum Deus sit Unicus, debuit esse in sui regimine, in modo quo illa Deum intelligit & amat; Deus autem sic illam contemplatur, amat, acquiescit in illa, ut potuerit hoc non facere; sed omittere, eâ creaturâ carere, & quod facit, non facit ex necessitate; sed ex liberali, nobilissimo, electivo, purè voluntario & candido Pectore: Ergo & illa ut summopere esset Deo cœqualis, socia, conjux, reciproce ejus imitatrix, debuit eum sic Intellectu & Amore prosequi, sic gaudia & lætitiâ & affectus si qui omnes ei impendere, ut aliter quidem, si voluisset facere ipsa potuisset; verum illa faciat electivè ex nobilissimo & liberrimo Pectore, purè

purè voluntario & independenti, nequaquam verò ex necessitate: Ergo ad Summam Perfectionem & Imitationem Dei agentis, debuit illa creari & esse Libera Libertate Indifferentiæ. *Sect. 4.* Sive à necessitate soluta: Nec aliter fieri potuisset, si Deus rem diversæ naturæ condidisset.

13. Rerum Corporearum status ex Fine Dei *Demonstrare*, tam in Genere, quàm in Specie consideratarum, absurdum & temerarium esse existimo; quoniam proposito Dei particulari nituntur, cujus per finitudinem & ignorantiam nostram nos laret: Unde prudentissimè *Cartesius Medit. IV. p. m. 26. l. præante penult. & seqq.* Natura mea est valdè infirma, limitata, Dei autem Natura est immensa, incomprehensibilis, infinita, ob quam rationem totum illud causarum genus, quod à Fine peti solet in Rebus Physicis, *N.B. Præmissis nostris pensitatis, debemus vocabulum Physicis, hic loci strictissimè sumere, saltem pro Rebus Corporeis, nullum usum habere existimo; non enim absque temeritate, me puto posse Fines Dei investigare. Illustrissimus Heros & Philosophus videns, quòd Natura Rerum nos lateat; & tamen quosdam, scabiei opinandi pruritus, in id deduxerit, ut nescio quid de Rebus præsertim Cœlestibus, effutiverint, incidit in admirationem. Origines ipse de Ecclesia Christi benemeritis non uno tantum loco audet dicere: Si quidem etiam Cœlestes stelle Animalia sunt rationalia, virtute prædita, illustrata cognitionis Lumine, à Sapientia illa, quæ est splen-*

*splendor aterni Luminis. Origines contra Celsum l. 5.* Alibi autem eousque procedit, ut quod mirari satis non possit, asserat: *Christianos canere Hymnos Deo Domino omnium & Domino mundi, non aliter quàm Sol, Luna & Stella canant, omnisque cœli exercitus; cum hæc omnes creatura unum constantes chorum, cum justis celebrent, unum Deum, Filiumque ejus Unigenitum. Origines cont. Celsum l. 8.*

14. Celeberrimus ac Doctissimus *Rabbiorum Maimonides* asserit: Solem, stellâque Animantia esse, Intellectuque ac Voluntate prædita: *More Nevachim l. 3. c. 29. ut opinamur.* Alterque præcipuus, Doctissimûque recentiorum *Menasseh* scilicet *Ben-Israel* Judæus *Amstelodamensis*: In suis de Creatione Mundi problematis insignem hunc locum habet: *Quod de Intelligentiis tradunt, id verò mera Fabula est; nam cœlum secundum Rabbi Mosem, & rei veritatem, habent animas proprias rationali VI-TA præditas sicut alibi à me Demonstrabitur. P. 98.*

15. *Sabai*, vel ut à Criticis vocantur *Zabiani* à Doctis quibusdam omnium Idololatrarum primi existimati in *Arabia*, quorum ritus in *Nostr. Disp. 1. §. IX. Triperit. de Urin & Thummim, Lugd. Batav. habit.* breviter attigeram. Quos adeò Antiquos esse vult *Maimonides*, ut *Abrahamus* contra eos disputarit. *More Nevach. Lib. 3. cap. 30.* Ii inquam Solem, Lunam & cæteros Planetas pro numine habuerunt & cultû divino prosequuti sunt, quòd

Entia intelligentiâ prædita crediderint, maximeque concurrentia ad Mundi regimen. *Mora Newoch. l. 3. c. 25.*

16. Huic errori fuit obnoxius, ut ex verbis ejus colligo Ludio ille Poëta *Ovidius*, *Metamorph. Lib. 1. Pau. 70.* Dum ait:

*Non regio foret ulla suis Animantibus orba;  
Altra tenent cæleste solum, formæque Deorum:*

*Cesserunt nitidis habitanda piscibus undæ:  
Terra feras cæpit: volucres agitalis aër.  
Sanctius his Animal, mentisque capacius alta  
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset:  
Natus Homo est sive hunc Divino Semine fecit.  
Ille Opifex Rerum, mundi melioris origo:  
Sive recens Tellus, seductaque nuper ab alto  
Æthere, cognatiretinebant semina Cæli.*

17. Hæ sunt Conjecturæ irrationales, frugales & temerariæ, non Demonstrationes certæ, Mathematicæ, solidæ & cum Recta Ratione paripassu ambulantes, opiniones & conjecturæ certè vanæ, *Fines* Dei non detegentes; immò illudentes, cum ex sola saltem conjectura cæca ortum suum ducant, & nullis argumentis firmis fulciantur: Unde dico esse irrationabiles & paradoxa improbabilia. Ex hac opinione conjicio Veterem illum errorem, quem & hodie crassâ cum ignorantia amplectimur, ortum suum duxisse: *Viz. Deum & Naturam nihil agere frustra: Profectò Natura h. m. sumptum vocabulum est Ethnicum, adeoque mihi multum suspectum: Ita ut Fatum &*

*Na-*

*Natura* si benè pensitemus, benè conveniunt, & in una sede morantur, & unâ fideiâ refutari queunt: Nisi sumpserimus pro Indole, quæ unicuique Rei à Pio Opifice est indita & donata, quam Theologicè vocamus *Manutentionem*.

18. Erat Opinio quondam de Mundo Animato, variisq; Mundi Partibus Animatis, Intelligentiâque præditis, quæ ita pervaserat hominum animos, ut causa præcipua fuerit cur Imperator *Julianus* à Christianismo ad Atheismum defecerit, gratiasque solemnes *Soli* ob concessum sibi Imperium Ramanum, egerit: *Sed nec illam, quam ejusdem Numinis, Solis scilicet, beneficio adeptus sum, sortem conditionemque parvi facio; quod ex eo genere penes quod Terrarum Dominatus atque Imperium est, temporibus nostris ortum acceperim. Julianus ad Regem Solem.*

19. Immò & hodie non nullorum animos tenet ejusdem Opinionis in altum acta radix. Eram enim Anno 1686. 24 Febr. *Hagæ Comitibus* hujus *Hollandiæ*, quo me curiositas videndi ejus loci invitârat. Et cum secundum consuetudinem Peregrinorum Diverforium petiissem, commessandum fortè mihi fuit cum quodam Viro multum miro, variarum Opinionum nido, qui se nobis nominabat *Theophilum Comsopolitam*, quem Linguae, viz. Græca, Latina, Gallica, Germanica, Anglica, Polonica, Belgica, quas apud ipsum, ipsi sumus comperti, sanè non latebant nec fugiebant. Ex Comitibus meis unus, *Illustissimi Comitibus Isenburgii & Biding. n. Joannis Philippi in Offenback prope Francofurtum* ad

ad *Mœnum*, Alumbus, D. *Conrad. Bröske* A. L. C. nobis p. t. Amicissimus, volebat esse tam curiosus, ut illum quæstionibus mixtis divexare ipsum non pignerit, ex quo varias sanè Opiniones nos audisse, varia M. SS. *credo ab ipso solo efformata*, vidisse, & nobis ipsis, quòd talem Phanaticum offendisse contigerit gratulatos fuisse, certum est. Ex eadem curiositate A. 1687. 28. Sept. per *Frisiam* profectus sum in *Omlandiam* speciatim *Groningam*, ubi numero eundem illum & individuum Phanaticum & Impolitem in Diverforio delitescentem reperi, illicòque agnovi; non tamen me ipsi notificavi, ne aliquo pacto nescio quid cogitationis ipsi incutiat; Verùm ut Novitius de rebus seriis & necessariis super omnia cum illo confabulatus sum; prius quidem inquirendo in Nomen ipsius, ubi tunc temporis auctum verbo reperi, dicendo se esse *Mercurium Theophilum Cosmopolitam*. Sanè Denominationes istas sumplit ex *Præfatione Notarum D. Cartesii in Programma quoddam Anni 1647*. Ubi Autor Præfationis illius propudiosa & putida Denominationis ergò superaddidit duo hæcce Epitheta *Tenebrio ac Lucifuga*, quæ apprimè huic nostro competunt; quæ tamen ipse suppressit. Et inter cætera primum fere quod mihi venit in Mentem, fuit de *Toto Universo* & de *Anima Hominis*. De *Anima Hominis* sentiebat, quòd jam ipsius fuisset multorum antea Hominum, numero quot, & quorum, ignorat. De *Toto Universo* affirmabat Animalitatem, ipsorum bru-

brutorum Animalitate infinito modo excellentiorem. Illicò sciscitabar de *Morte Temporaria*, & de *Salute Cœlesti & Spirituali*: Num credat *Hominum Animas* introituras in *Regnum Cælorum*? Respondebat: Omnino, & quidem Homines necessariò debere mori, quia debent alii aliis locum cedere, cò quod non posset Mundus eos omnes capere vivos, & Anima debet designato tradi. Tunc ego, non quasi vellem ludere in Sacris; sed ut talem *Simplicium & Andabatam* deriderem & eluderem, dicebam: Non sine causa dicit ergo *Ovidius*:

*Pronaque cum spectent Animalia cætera terram;  
Os Homini sublime dedit: Cælumque videre  
Jussit, & erectos ad Sidera tollere vultus.*

Sol enim, Luna, Stellæ fixæ, & erraticæ; ut Cometæ & Planetæ omnes aspiciunt Terram ut Animantia prona cætera Terræ; Anima autem propè debet esse oculis, siquidem sua officia peragat excellentius ex Glandula; Os verò Homini sublime datum est versùs cælos & erectus ad Sidera vultus, quod debet esse signum tendentiæ ejus ad superos. Sed Domine mi! Cum sint duo loca Cælum, viz. & Or-  
cus, quæ *Totum Universum* à Te nobiliori & infinito modo excellentiori Animalitate quàm ipsa bruta, præditum, comprehendit, quid fiet cum *Toto Universo*? *Homo* enim salvabitur aut condemnabitur, *Angeli Boni* servabunt sua loca supera, *Mali Spiritus* tenebunt interos, *Animatum* istud *Nobile & Exellens* quo ibit? Aut si *Hominum* Judicium prius peragatur, tantæ mul-

multitudini sursum tendenti, quomodo dabit *Univerſus*, per ſuæ *Anima* locum tranſitum? Nonne nobis reſiſtent *Sol*, *Luna*, *Stella*, *Cometa*, *Planeta* Partes etiam *Mundi Animata*, aut tranſitum impediunt? Siquidem findemus corpore noſtro capita eorum? Aut ſi hoc fiet, nonne propter iſta immunera vulnera iſtis inſiſta fiet exſpiratio *Animæ* eorum, ſi fiet? quo migrabunt? De *Anima* autem quæ ſentis ſunt *Pythagorica*, Centies & Millies à Sanioribus reſutata, Homini Chriſtiano planè indigna. Quòd autem *Homines* debeant mori, ut cedatur locus aliis futuris & venturis ex imparitate capacitatis *Mundi*, eſt *Opinio Stoica*, præcedenti Soror Germana, adeoque falſa, abſurda, cæteriſque Tuis *Opinionibus* contradicens & Repugnans: Nec *Mors* eſt à Deo: Nec *Homo* naturâ ſuâ Mortalis eſt: Nec *Mundus*, non dico *Tellurem*, incapax plures adhuc vivos capiendi. Tunc ille irâ concitatus neſcio conſulum murmurabat. Inter cætera illum eſſe *Mitem* & *Miſericordem*, & *Mundum* corde, & *Eſurientem* & *ſitientem* *Juſtitiam*, *Pauperem* *Spiritu*, *Lugentem* & *Peregrinum* decantabat: Tamen ab omnibus *Juſtiæ* cauſâ perlequi, rideri & convitiis affici: Et ita *Beatitudines* à Chriſto *Matt. 5.* enumeratas, mox omninò repetivè recitabat: Quod tamen iplum, veluti rixoſum *Impoſtorem* & *impudentem* *Nugatorem* & *Cavillatorem* feriebat, ſupprimebat. Tum ego ipli replicui: Non dubito quin *Lugeas*; video enim ſignum *Luctus* circa

*pileum* Tuum; & ſis *Peregrinus*; hoc enim Nomen *Cosmopolita* præ ſe fert, etiam quòd anno præterito *Hagæ Comitibus* Te offenderim per modum *Peregrini* in loco Publico, quamvis me non cognoſcas: Sed ego dico Domine *Cosmopolita*: Quamdiu tales *Opiniones* fovebis, & cùm *Matt. 5.* Beati ſint *Pacifici*, quod Tu non enumeravi; *Pacificus* non eris? verùm rixas quæres? Beatus & verè *Felix* non eris.

20. Hæc & ſimilia ſunt illa abſurda, non tam *Divinæ Sapientiæ*, quàm noſtræ pravitatis & corruptionis ſequelæ ſordidæ, quibus Magnus ille Philoſophus *Carteſius* perterrefactus, coactus eſt præmiſſa fari.

21. Quoniam in ſuperioribus Modum agendi ſ. gerendi hominem ſe, erga Deum præmonui, ea recapitulare nihil eſt neceſſe; ſed pergere & invetiigare, quod-nam ſit ulterius ejus *Officium* erga *Pium Opificem*, & quis ſit *Finis* quem ille debet intendere, quem etiam ipſe Deus ab illo exigat? Dico non alium eſſe, quàm ut *Intellectu*, *Amore*, totiſque *Affectibus*, illimitatè Deum proſequatur, ut & quod is teneatur ſimile quid procurare erga *Proximum* ſuum; & ſe iplum conſervare, quo eò ſemper aptus ſit; ſed hæc relinquenda ad poſteriora.

22. Deinde de *Pio Opifice* benè ſentit, qui non tantùm internum, verùm & externum cultum Deo exhibet. *Potentiam* & *ſapientiam* ejus admiratur, *Noménque* ſanctiſſimum celebrat. Atque adeo *Oblequium* *Hominiſ* non tantùm con-

sistere in Animæ actionibus propriis, quas vocant elicitas; sed & in membrorum omnium motu recto, quas actiones vocant imperatas. Coccej. de Fed. §. 20. A sacris Cœtibus nunquam se ablentat, si linguam calleat, sciens non satis esse innocentiam Deo offerre & vota in Conscientia penetrati emittere; sed requiritur etiam ut palam in sacris Cœtibus eum veneretur.

23. Quis verò Deum credit, & illum precari, laudare, eique sacrificia labiorum suorum offerre erubescit? Degeneres animos timor arguit, & is non verè Deum colere censendus, qui debitum ei timorem & honorem persolvere veretur, & apertè propalare quod in cordis penetralibus & intimis agnoscit & adoratur.

24. E diverso, ubi in Templis ubi in Locis Publicis Deo majestatem reddimus, devotionem nostram testamur & Dei gloriam zelantes, præsentibus incitamus, nostròque exemplo attrahimus, ad similem honorem ipsi exhibendum.

25. Hæc & similia omnia hominum Officia, omnis Virtus & Philosophia Moralis, immò & practica quæcunque in Demonstrationibus à Fine petitis solidè fundantur, & ex iis modo Mathematicas certitudines æquante, Demonstrari possunt: quod ostendisse supra de præcipuis satis est.

Scitia

Sectio XVI. De officiis erga Nosmet-ipsos.

1. **H**omo constat ex Animo & Corpore duabus videlicet Partibus: secundum quas unusquisque nostrum debet sibi prospicere, indolem suam consulere. 1. Animum Virtute, probis Moribus & Recti sensu imbueri, ut Corpori ritè Animus præesse valeat, ejusque ductui Corpus obtemperet, suos motus secundum imperium ejus exequendo. 2. Aliquam scientiam & Artem, Statum aliquem secundum dotes nobis à Deo largitas deligere, ne postmodum nobis graves, aliis molesti, & Societati in qua degere nobis incumbit onerosi evadamus. Corpus fortiter affectum digito compescamus, ut retinacula tendens ne feratur frustra equis Auriga; sed audiat, currus habenas. Pertinaces Passiones, perditissimas indoles, quæ plerumque ex malefida Corporis ipsi Animæ conjunctione pullulant comprimamus, earumque impulsibus tempestivè occurramus: Non tamen licet violentas nobis consciscere manus, cum sinus nostri non Tortores; sed Tutores: Tortoribus enim & Suicidis honestam sepulturam denegamus, & Leges contra tales arma sumere jubemus, æternæque infamiæ notamus. Excipe ab hâc Regula eos I. Qui piè cum essent compotes Mentis, probitèrque vixere; verum dum in tentationes incidere & Mentis impotes evasere, violentasque manus intulere; quoniam tunc homines dominio suo planè sint exempti

K

Es qua-

& quasi à se disseparati, honestâ sepulturâ condecorari debent: Exemplum hujus habebamus Anno 1686. 27. Janu. in *Studente* aliquo, Natione *Dano*, qui dum in *Phrenesim* incidisset, factus est, cujus Vita intaminata, pia, proba in valetudine, postquam ex testibus locupletibus constitisset, à Senatu Academico & Politico Batavo Lugdunensi, honesta parentatio 29 Jan. concessa est, & in Templo S. Petri honorifico luctû, exequiis funebri pompâ factis, sepultus est.

2. Excipe II. eos, qui pulvere nitrato navem quâ vehuntur accendunt, ne descendat in hostis possessionem sic ipsi hosti incommodantes, sæpè in his Oris Maritimis, præcipuè sub Archithalassidis admirandis Heroibus pro Amore Patriæ mortem oppetere decori ducentibus conspicitur, quod facinus tantum abesse videtur ut vituperio digna æstimetur; quin immò Monumentis splendidissimis ipsi Heroës & superscriptionibus insignium famigerantur. *De Suicidio Vid. Ames. Cas. Consc. Lib. 5. p. m. 345.*

3. Excipe III. eos, qui ab accusatoribus maleferiatis indignè & immeritò capitis damnates evadunt & per morem receptum calice virulento propriâ manu potantur: Qui mos apud *Athenienses* referente *Valerio Maximo* consuetudine irrationabili viguit. Exemplum habemus in *Phocione*, Viro optimè de Patriâ merito & ætate decrepito, qui ab *Atheniensibus* ingratiss civibus damna capitis factus, poculò cicu-

cutâ temperatò propriâ manu suffocatus est. Talium personarum immunis vita lucem postquam petierit & insons proclamata fuerit, mortem propudiosam ut honestæ exequiæ & pœnitentia comitentur æquum est. Prout ipse *Phocion*, ut innuit *Gryneus* alicubi, post prolatam ad Filium sententiam, viz: *Ego mi Fili, præcipio tibi, ut Patria sis amans & ne ob Paternæ mortis mem riam, Atheniensibus unquam malevelis.* In dubium ab *Atheniensibus* vocatus insons proclamatus est, post, quid factum fuerit, exactiori historiæ committo. Sed ut ab exemplis in viam.

4. Siquidem Fama sit testimonium Virtutum, eam exornemus; nam *Bona* nostra tum *Interna* tum *Eterna* quantum fieri potest defendere tenemur; *Internorum* autem dispendium cum sit periclitatio Famæ, eam tueamur & vindicemus: Periclitatur autem Fama maxime ab illis Bestiis, quæ vel feræ vel mansuctæ sunt, quam distinctionem innuo cum *Diogene*: Interrogatus enim ille, quæ Bestia venenatissimos & nocentissimos haberet dentes? *Respondisse fertur*: Si de feris animalibus instituat quæstio, est *Obrrectator*: Si de mansuetis, est *Adulator*. Hæ utrius vis modi Bestiæ, postquam familiariter cum iis viximus, contumeliam inferunt, molestiam facessant; aut cum præsumptione carpunt & lugillant, vel traducunt & diffamant, seu cavillando in præsentia, seu calumniando in absentia, nunquam laudant, semper vituperant. Si Tu ad concordiam provo-

ces, quid amabo proficies? Ambas Tibi manus summā cum hypocrisi propinabant & *Ge- lasinum* proponunt. Outinam tales conversi in sese nec laudarent nec vituperarent! *Vid. Sect. x. §. 5.* Remedia contra tales sunt; *Sustine & Abstine.* Virtutibus *Aspice* & in iis *Persiste.* Et si Famam tueri debeas; nunquam tamen Virtutes deferas ut Famam places, & ita Adversarios tuos in summum Conscientiæ cruciatum rediges, & illi dolose agendo Virtute se fatebuntur impares. Hinc invaluit illud Lemma Ethicorum: *Ama tanquam Ojurus: Oderis tanquam Amaturus.* q. d. Prudenter age, & mediō tutissimus ibis. Næquid nimis. Quod non sine ratione pro Symbolo sibi desponsavit unicus ex nostris Benevolis *Cl. D. M. W. Hung. P. D. & A. L. M.* cui semper novercatur Fortuna: Dilce tamen: Omnibus placere, esse impossibile: Nulli, miserabile. Paucis & Bonis, delectabile. En Tibi pro solatio Poëticum illud!

*Non volo, nec valeo placitum me reddere cun-ctis;*

*Sed volo, si valeo posse placere Bonis.*

Nec fuit, nec erit aliquis in mundo, qui dictum istud *Antalcide Lacedemonii* observare & implere valuisset: *Qui vult omnibus hominibus placere: Præstet Utilissima; loquatur autem jucundissima:* Nam ego dico: Unicuique homini suam *Ululam* esse *Columbam*: Unde ut nulli noceas *Columba* fias: Ut nemo Tibi noceat sis *Pelagi Serpens.*

5. Fa-

5. *Famam* tamen *Bonam* de Virtute non fucata in cordibus & Conscientiis hominum potius, quam in Facie quæramus, 2 *Cor.* 4: 2. & 5: 11, 12. ex solidis operibus Virtutis magis, quam ex Arte captata commendatione, 2 *Cor.* 3: 1. 2: 3. eam & tuamur non propter se, neque propter nos, quasi aliis majorem Fiduciam, *vel si mavis*, Fidem haberemus de nobis, quam nobismet ipsis: Sed propter Gloriam Dei, *Gal.* 1: 24. 2 *Thess.* 1: 12. Hinc illi singularem curam habere debent Famæ suæ, qui muneris sui ratione, singulariter vocantur ad *Dei Gloriam* & *Hominum Salutem* promovendam, *Nehem.* 6: 10. 11. 1 *Tim.* 3: 7. 1 *Sam.* 2: 17. & 12: 23, 24. De tali Famæ cantati sunt, aut cantari debent, illi versiculi:

*Omnia si perdas Famam servare memento:*

*Nam si perdideris, postea nullus eris.*

Ergo Fama & Exultatio cum contumeliâ lædatur, non est ronehissandum: Is enim sæpè apud alios vilipenditur, qui se despici impune patitur.

6. Infamiam de nobis ipsis, falsum crimen imponendo, ne spargamus: hoc pacto enim non tantum peccaremus mentiendo in Veritatem; sed etiam in Proximum, scandalum ipsi præbendo? Et in nosmetipsos, dum spoliamus nos bono conservando, & in Deum, cujus gratiâ hâc in parte negatur, & cujus Nomen forsitan hâc ratione potest blasphemari, *Job.* 27: 5.

7. Tria in Sacris Literis enumerantur Ho-

K 3

mi-

micidia. 1. *Homicidium Cordis*. 2. *Homicidium Linguae*. 3. *Homicidium Armorum*. *Homicidium Cordis* plerumque excipit *Homicidium Linguae*, & *Homicidium Linguae*, salutat *Homicidium Armorum*, si verum sit: *A verbis ad verbera progressum facilem esse*: Unde Aggreflori Famæ velut Homicidæ futuro, licet nobis obfistere, præsertim si aliorum bono fiat proficuum:

*Principiis obsta. Sero Medicina paratur, Cum mala per longas convaluere moras.*

8. *Sed difficultatem moves*: Me Famam numerare inter *Bona Interna* Hominis, cum Sect. x. §. 5. dixerim, Famæ jacturam Virum Fortem non labefactare; hic autem & Aggreflori Famæ obstaculum ponam? *Respondeo*: Distinguendum est inter Famam quatenus est *primò* Testimonium Virtutum in Facultate Cogitante efformatarum, quod etiam eatenus respectum habeat ad Animam: Et *secundò* quatenus propalatio Famæ simpliciter pendet ab Arbitrio aliorum hominum. Quatenus est *Testimonium Virtutum*, est Bonum Internum fluens ex Rebus Intellectualibus, *Virtutibus scilicet*, & eatenus quod sit *Bonum Internum*, Aggreflorum ejus licet eludere, aut ei contravenire. Quatenus autem *Fama* precario dependet ab aliorum deprædicatione & propalatione, eorumque Arbitrio nititur, & ut *Bonum* mutabile spectatur, est *Externum*, Tale, cujus jactura Virum Fortem labefactare non potest: Habet enim Vir Fortis in se suas de-

li-

licias, principia & causas Originales Famæ volubilis Arbitrio hominum expositæ, quas, Virtutes nuncupamus. Quibus tamen Famæ sugillatoribus, etsi Origini nihil officere possint; tamen propter malum Animum, & dolum malum, si per Potentiam Sugillati liceat, resistere cautum est. *Do Simile*. Quamvis Rex aliquis ex eo, quod per Furem aliquem mille suos florenos amiserit non pauperascit, & istud dispendii infra Generositatem Regis situm sit, eumque non labefactet: Tamen ut Scintilla minimula majus ne excitet incendium, malum per Furem commissum ronchissando & dormitando non respicit; sed illicò inquit in Autorem mali, quem si deprehendat, in illum animadvertit, non propterea, quasi ablatio mille istorum florenorum pauperiem ipsi inflisisset intolerabilem & acrem, & ita Regem labefactasset; sed quod Fur malum patrauerit, contra Leges, & contra Officia sua erraverit, judicio exponit. Hoc idem de Aggreflore Honoris.

9. Ergo multò magis Aggreflorem VITÆ nostræ inculpatæ licet nobis prout occasio fert eludere, aut vim illius vi repellere: Nulla enim Lege adstringimur Salutem nostram prodere, ut alterius improbitas, in tuto maneat. Immo unicuique æternum est: Vim Vi repellere licere. *Ulpian. l. 1. §. 27. ff. de Vi & vi armata*. Addo: Si tuendi duntaxat non etiam ulciscendi causa factum sit. Quamobrem Tractatus, de VIRGA MOSIS Disputationum no-

K 4

stra-

strarum quartæ, *Lugd. Batav.* habitæ, Epimetro annectere animo meo allubuit: *Violentiam sui tuitionem prohibere, esse Justitiam è mundo abigere, & Furibus largiri quod alienum est.*

10. Nec est quod dicatur: Officia charitatis eò modo negligi. Quippe Lex charitatis jubet ut pacem cum Proximo colamus; si autem eam non fervet Proximus; sed VITÆ meæ insidiatur, vi & dolo omnia rapiat, ab injuriis non desistat, quin ad majores erumpere videatur, dat mihi quantum in se adversus se licentiam in infinitum. Propulsandi enim defendendi & conservandi sui modus quantulumcūque malum sit, cum Lege Naturali definitus non sit, in infinitum extenditur, adeoque indefinitè omnia licent, dummodò ab eò malo metus summus sit, qui summum Jus dat, unde Jus summum ad media, *Cl. D. Ulric. Hub. p. m. 319. De Jur. Civit.* Néque enim idè ordo communis gentium facietatis evertitur è medio tollendo pravorum, quàm everteretur tollerando eos & injurias patienter ab iis ferendo: Unde rectissimè *Puffend. Stultus*, inquit, est, propriaque Salutis ignavus proditor, qui hosti, quamdiu talis persistit & hostilia exercet, parcat & frustra perire, quàm perdere mavult. *Lib. 2. Cap. 5. §. 3.*

11. Externis nostris Bonis inhiant ipsi Fures & Prædones. Vulgatum est apud Ictos: *Bona Externa sunt sanguis & VITA Hominum*: Quoniam sunt media, quibus VITA nostra sustentatur, & à quorum conservatione status

& ho-

& honor nostri pendet, quæ non minùs, quàm ipsa VITA, cum alterius VITÆ dispendio defendi possunt: Tales sunt Fornicum in Civitate, Domorum, Curruum, &c. Violatores perfidi. Quibus annumerare possumus Raptores Castitatis, qui reverà sunt Prædones, invito possessore, Virginitatis ablatores, qui Alectrias, Virgines vel Viduas comprimunt, aut honestas Matronas polluant, circa tales ad mortem usque procedere possumus, non exclusis iis qui opem huic flagitio dedere: Si verum sit: *Facientes & Consentientes pari poena luere posse & debere*; Nam verum est honestioribus personis in Genere Fœminino, nihil in mundo Pudicitia charius esse, nec eis majorem contumeliam inferri posse, quàm si invitis eripiat Castitas, quod unicum propemodum hujus sexus decus est & pro ejus corona habetur. Lege Juliâ ejusmodi Prædonibus sceleris, capitis poena irrogatur. *Justin. Inst. Lib. IV. Tit. ult. §. 8. de Vi.*

12. Communis est Lex apud omnes Nationes, infimos à Potentioribus adjuvari & pauperes à Ditioribus promoveri debere: Sin minus? Adeoque inops & ægenus VITAM sustentandi impar aliquis evadat? non precibus, non oblatâ operâ, aut aliâ viâ alimentum, aut quo tegatur indumentum obtinere potis sit? sibi, aliorum bonis succurrere fas erit, & citra Rapinæ aut Furti crimen ea surripere quæ ad VITÆ fomitem requiruntur poterit; sed non ultra suberream erepidam.

K 5

13. Et.

13. Etiam quod *Amor*, ut loquimur, incipiat ab *Ego*: In citis extremitatibus, res alienas in nostrâ periclitentur & in iis extremis sint politæ, ut non nisi aliorum injuriâ queant confervari, illicet perdere possumus: Sic tempore exorti incendii ædes vicini diffloccare cautum est, ut sic mea domus incolumis maneat; tantummodò juxta & æquæ adsint repetundæ post exactum incendium: Sic cum aliquis ab holte feroce & pertinace pellitur, equoque vehitur iniquo, inevitabiliter Proximum opprimit, sic ex faucibus mortis elabendo VITAM suam fugiendo TRIUMPHARE facit ipseque consulit & conservat, causa ejus solvitur: Sic natandi peritus naufragio factò ejus artis imperitum, *si sentiat se vehendo imparem*, à se abigere potest, ut sibi VITAM incolumem vindicat & reporter, litusque pertingat: Si verò alicui Tabulæ, fractæ Navis alicujus assideat, quæ est incapax duorum præcipitare alterum adventantem poterit: Sic Hostem præ se innocentem personam pro clypeo tenentem, ut scilicet eò commodius VITÆ meæ ultimum diem & vale deplorandum imponat, per personam interpositam, si fugiendi & elabendi occasio novercetur & Mortis periculum urgeat, percutere Jus Mundi esse autumo. Ubi, vide quòd præsupponam me nullâ ratione periculum impendens declinare potuisse, quia in hoc consistit formalis hujus defensionis ratio.

14. Hic loquor tam illiberaliter ut eos ferire videar, qui ajunt: *Turpissimum esse fugere*. Cujusmodi

jusmodi farinæ sunt *Soius*, *Bartolus*, *Baldus*, & alii, qui affirmant Nobilem aut Honestum aut Ingenuum non teneri ad fugiendum ante Vilem & Aggressorem Ignobilem; sed si occiderit? jure occidisse, jurèque hoc suo fecisse. Plus sanè quàm decet amplâ hoc casu talibus videtur *Conscientiæ Tabula*. Quippe hoc modo apud Graves & Bonos Viros, honos alterius ejusmodi fugâ haud læditur, cum Magnus Animus velut *Aquila non capiet Muscas*; sed intra Magnitudinem suam putet, contumeliæ cunjunctumque ergo in vindictam cogitare. *Hungari* habent Adagium sanè non contemnendum, quod sæpissimè, omnium maximè Honestiores observare consuevère: *Szégyn a Futás; de Háznos*: hoc est, Turpe quidem est Fugere; sed est multum Utile.

15. Cæterum, distinguamus inter *non Fugere* & *non Effugere* periculum, quia enim sæpè non tam periculum effugitur, quàm potius fugiendo augetur, cum in fuga facilius quis vulneretur à tergo: Existimo, neminem cogi fugere, nisi commodè fugere: hoc est, eò ipso periculum effugere possit. Et hæc est ratio cur *Insultatus* si non fugerit, quamvis fugere potuerit, non Ordinariâ homicidii pœnâ sit afficiendus; siquidem perturbatio Animi non fert, ut quis ita accuratè omnes evadendi vias possit circumspicere, sicut ille qui tranquillo Animo extra periculum constituitur. Inde uti ad minantem aut provocantem ultro ex loco tuto descendere temerarium est: Ita si in aperto me loco constitutum alter

inva-

invadat, non præcisè ad fugam obligor, nisi forte in proximo sit tale suffugium, ad quod me citra periculum possim recipere, nèque semper cessim ire teneor. *Puffend. c. l. §. 9.* Illud autem quod D. D. nonnulli volunt: *Militibus simpliciter turpe esse fugere.* Non videtur admittendum in casu præsentis, hic enim non quàm miles censetur; hoc largior: aliud esse; si Miles esset in excubiis, quia tunc non solum propter Juramentum; sed & propter majus bonum, quod omissa defensione in periculum conjicitur, fugâ se periculo subducere prohibetur. Quod etiam ad omnes eos refertur, quorum Officium est *Ab aliis vim arcere.* *Grot. Lib. 2. c. 1. §. 8.*

16. Sed prolixiores nos fecit impetus quàm erat ex intentione: Sistamus ergo gradum; si quidem supervacaneum quasi sit ei Leges præscribere, qui veluti centrum se contemplatur unde procedit, & in quod refluit omnis operatio, suique curam habet, sibi consulit propriasque utilitates toto nisu procurat. Hoc tantum unicum monere velim: Ut Deum ore-mus, ut largiatur Nobis Noscere Se, & Noscere Nos, & Noscere cui credere possimus, Amen!

*Seclio XVII. De Officiis erga  
Proximum.*

1. **N**emo nostrum sibi uni nascitur, necessitas cohabitandi confociat omnes trinâ Lege; quaquâque tenetur. 1. Honestè Vivere.

2. Al-

2. Alterum non Lædere. 3. Suum cuique Tribuere. *Just. Inst. L. 1. T. 1. §. 3.* Hæc sunt dictata Juris Naturæ ἀλλοτρίων δὲ ψυχῶν ἐννοεῖται, insitæ & quasi consignatæ in Animis nostris notiones & non Regulæ Artis Juris.

2. *Priori illo* vetantur omnia, quæ pugnant cum Bonis Moribus & Publicâ Honestate, etiam si non expressè prohibita. Est aliquid, inquit *Cicero pro Balbo*, quod non oporteat etiam si licet. *Fac. l. 145. de Reg. Jur.* Et ego addo: Prudentia sæpè suadet intermittere, quæ facere Jus est.

3. *Horum alterum* ad Personam alterius referri videtur, *alterum* ad res externas: *Cic. 1. de Offic.* Justitiæ primum munus est, ut ne cui quisque noceat: deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis. *Sen. 3. de Benef. c. 14.* Æquissima vox est & Jus Gentium præ se ferens, Redde quod debes.

4. Potissima itaque nostra erga alios exercendi Officia sunt duo. 1. Ut æqualitatem servemus, nullique nos præferamus. 2. Ne quem lædamus & ab inferenda aliis injuria abstineamus: *Summa*, Quod Tibi nos Vis, Alteri ne Feceris. Æqualitatem servare contendit, qui supra alios non gloriatur, verum se extenuat, & suam originem considerat, ex Terræ limo se formatum & pari ratione in lucem editum, iisdem alimentis enutritum agnoscit, decurrentibus Annis eodem modò ad Senectam proventurum & æquam se cum cæteris moriendi Necessitatem animo suo versat. Et exclamat:

Quid

Quid Gloria post Mortem aliud, quam læves autæ post naufragium! Sic *Virgilius* Gloriæ adeo contemptor fuit ut cum quidam, versus quosdam, sibi adscriberent, eaque re Docti haberentur, non ut agrè tulisset; immò volupe sibi duxit: Cum enim Distichon, quod laudem, felicitatēque *Augusti Imperatoris* continebat, fecisset, valvisque non nominato Autore infixeret, id erat ejusmodi:

*Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè,*

*Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.*  
Cum *Cæsar Augustus* inquisivisset cujusnam essent hi Versus, *Bathyllus Poëta* mediocris sibi vendicare non erubuit, quamobrem à Cæsare strenuè salutatus est, quod facti *Virgilius* adversus, iisdem valvis affixit quater hoc principium: *Sic vos non vobis*. Postulabat Augustus, ut hæ Cæluræ supplerentur, quod cum frustra aliqui conati essent, *Virgilius* præposito Disticho, sic subjunxit:

*Hos ego versiculos feci tulit alter Honores:*

*Sic vos non vobis nidificatis Aves:*

*Sic vos non vobis vellera fertis Oves:*

*Sic vos non vobis mellificatis Apes*

*Sic vos non vobis fertis aratra Boves.*

Quò cognitò, eventus hic fuit, quòd aliquandiu *Bathyllus* Romæ Fabula fuit, *Maro* Honorifuga Luciferatus Exaltator.

5. Deinde animadvertit, Nullam Rem inter Homines æquabilius esse distributam quàm Bonam Mentem Libertate Arbitrii à Deo insigniter Dotatam, à quâ si quid proficiatur Boni, laudis

laudis Palmam mereri, cæteros actus fordescere; quòd ipsum non minùs apud Plebejum, Pauperem, quàm apud Regem, Principem, Divitem hospitatur.

6. Neminem lædere intendit, qui suo contentus contendit esse stipendio & alienum à se putat alterius damno locupletari, & cogitat: Sicut Calori repugnat refrigerare, & Humiditati exsiccare: Sic ab Homine Virtuoso & Constanti alienum esse, æqualem offendere & damno vel injuriâ Proximum lacessere: Sic *Demonax* Philosophus apud *Lucianum* exultat: Quod nulli unquam litem moverit, nulli negotium fecerit, & omnibus Amicus, nulli Hostis existerit. Cui contrariatur *Nero* sceleratus ut narrat *Suetonius*, qui omnia direxit ad propriam utilitatem, populi verò commoda penitus neglexit, Præfecto suo inculcando sermō: *Hoc agamus, ne quisquam quicquàm habeat*. Ejusmodi Catulus fuit ante illum *Caligula* vel multò nequior cum optaret: *O utinam universus Populus unam cervicem haberet, quam unico ictu præcidere possem!* *Suetonius in vita Caligula.*

7. Ad nos pertinet ut alterum immeritò, quoquomodò ne lædamus. NB. Præcedentis capitis fiat applicatio. *Pomponius Atticus*, summus *Ciceronis* Amicus, apud *Cornelium Nepotem* in funere Matris, quam Nonagenariam ipse Sexaginta septem Annos natus, Sororēque prope æqualem habens, extulit, gloriatur, quòd cum Matre nunquam in Gratiā redierit, cum Sorore nunquam in Similitudine fuerit.

Omni-

Omnibus Christianis imitatione memoranda  
VITA.

8. Si verò lædamus aliquem, sumus proni ad deprecationem. *Secl. IX. §. 8.* Omnium maximè inter Capita Civitatis & Ecclesiæ, discordia Carcinomatis instar est, quod sanè velut virus perniciosissimum dolendum est: Quemadmodum enim Navigantibus pestilens est obortâ & sæviante Marinâ Tempestate Nautarum seditio: Ita inter Capita Civium qui inter decumanos mundi hujus fluctus Naviculæ Deliacæ instar agitantur, *Discordia Actio Diabolica est.* Quum duo Celeberrimi urbis Atticæ Gubernatores, *Aristides* cognomine *Iustus* & *Themistocles*, inter quos erat odium inveteratum, unâ Legatione fungerentur, ibi *Aristides* ad *Themistoclem* unâ iter facientem conversus fari incipit: *Visne ut in asperrimis istorum Montium jugis, Patriæ causâ deponamus Odium, ut majore cum successu munus nostrum concordæ obeamus?* O utinam & Christiani condonarent privatas offensas & evaderent Mites, Pacifici & Misericordes, exurgerent in Veritatis ac Concordiæ suaviatores, certarent Charitate & Modestiâ & Humanitatis officiis! Sinè dubio Odii ac Discordiæ & Veteris istius Hominis seminum eradicata Radix, comitem haberet insignem anhelatæ Pacis Coronam, Mansuetudo juncta Patientiæ, honestâ obviatatione basia- ret Nobilem TRIUMPHUM & de Rebus adversis tempestivè reportatam Victoriâ: Secundum istud Vatis:

No-

*Nobile Vincendi genus est Patientia: Vincit Qui Patitur: Si vis Vincere discere Pati.*

9. Titulus Læsionis extenditur ad Damnum; quoniam Damni nomine intelligitur id omne, quod detrimentum aut incommodum alteri adferre potest, quæ præcedentibus possunt applicari; præstè tamen denotant Rei Ablationem, Depravationem, Mutilationem s. Diminutionem, Fructuum interceptionem, quibus, si activè & immediatè per nos ipsos, vel mediatè per alios, prævio indifferenti rationis judicio timus obnoxii, tenemur repetundarum: Rationi enim consentaneum est, ut qui læsit, malo medeatur, & damnum illatum refarciat: Sic, qui consilio alium in malum provocat, vel mali perpetrandi occasionem præbet, ut hinc illi accedat utilitas, quicquid inde illi accesserit restituere tenetur. Secus autem, qui illius facti occasionem tantummodo dedit, aut delinquentes consilio adjuvit, si nihil illinc emolumenti accepit.

10. Ad Damni restitutionem constringitur non solum qui dolo malo alteri nocumentum attulit; sed qui per incuriam & ignaviam passus est illud accidere. Ad Societatis enim humanæ tutamen spectat, ut quilibet eâ cum cautione legerat, ut communitati proficius reddatur & nemini per ignaviam fiat oneri.

11. Non solum Damnum reparare tenemur à Nobis illatum; sed & à Servis, aut Animalibus nostris patratum: Nam cum Servi Rei publicæ sint partes, iisdem Legibus quibus

L

Do-

Domini, adstringuntur. Cum verò nihil in possessione habeant, quò pensare Damnum possint, iustum est ut illorum Domini defectus suppleant, aut illos Lege *Aquiliâ* offensis tradant. Aliter liberum Servo foret omnes lædere, si nec ab alio, nec à Domino, nec ab illo compensatio haberi posset. *Iust. Inst. L. IV. Tit. VI. §. 23.*

12. Par est de Animalibus nostris ratio, dum fundo alieno grassantur, & præter generis sui indolem, proprio instinctu impulsæ, aliis exitiosa sunt, *Iust. Inst. Tit. IX. Lib. IV.* Quæ Animalia si noxæ dedantur, proficiunt Reo ad liberationem: quia ita Lex XII. Tabularum scripta est: ut puta, si Equus calcitrosus calce percusserit; aut Bos cornu petere solitus, cornu petierit damni dati reparatio, à Domino exigatur, qui huiusmodi Animalium operâ, lucrum aliàs reportare consuevit, aut Animalia morte mulcentur. Sin secus? Societatis Jura violabimus & Pacem quâ fulcitur Respublica abrupemus. *Ant. Le Grand, De VITA Recl. Inst. C. 25.*

*Sectio XVIII. De Dominandi Jure variâque ejus Formâ.*

1. **G**eneraliora Humanitatis Officia, in Reverentia erga Deum, in Cautione erga Nosmetipsos & in Justitia erga Proximum absolvimus: Itaque descendere ad Particulariora ordinis ratio postulat. Postquàm Homo delicias quæsiit in Tenebris, ad enormitates nihilo lon-

longè deteriores, cassasque imitationes & inania realitatis phantasmata despectendo, ambitio, avaritia, libido, &c. eum & posteros invasere. Adhuc quidem Leges Naturæ: hoc est, Dictamina rationis satis æquum ab iniquo separabat: Inerâtque Animis cupiditas Societatis, judiciumque de Rebus ad eam necessariis. Sed quia sine ordine certo non poterat confusio evitari, nec commoda universorum invicem communicabantur. Maxime cum ob pravitatem hominum, dictata rationis negligerentur, tantumque omnes valerent, quantum viribus posset, palam est ad Bella evitanda conjunctione multorum: Nec tamen consensionem Eedus, ad tollendam confusionem & fundandam stabilendamque Pacem sufficiebat. Necessaria fuit ejusmodi ratio & modus per quem omnium voluntas una fieret, ut eò magis Pax propter dulcem unionem tandem suo talo consistere posset, neque enim aliter communium actionum exitus ad Concordiam & Pacem conservandam obtineri poterat.

2. Hæc est unio illa, quam sequutus est Ordo, Ordinem excipiendo Distinctio, Distinctionem Dependens, Dependens Auctoritas, quæ respiciebat eos, qui essent Virtute Eminentiores & Illustriores ac Potentiores, hi Jure confluxus & Auctoritate decreti, liberationis & fati pluralitatis, respiciebant Societatem unitam, quam vocamus Civitatem s. Rempubicam, quâ paulatim cretâ emerfa est multò locupletior Civitas ex multitudine hodie consistens.

3. Consensu tali priscos Populos à dissipatione Generis Humani, aut saltem aliquos in unum coaluisse dubium non est, non exclusâ divinâ Providentiâ: Complures tamen Vi Bellica sub Imperium aliorum redactos Sacrâ Literâ & experientia Rerum Humanarum docent. *Ex illo Genere erant Cyclopes & Aborigines* homines agrestes, sine Legibus, sine Imperio, Liberi atque Soluti. *Getuli* qui néque Moribus, néque Legibus aut Imperio cujusquam regebantur, *Sallustio* tradente, *Grot. Lib. 1. C. 4. §. 2.* Non multum abludivit Poëta *Ovidius Metamorph. L. 1. Pau. 90. & seqq.*

*Aurea prima sata est ætas, quæ, vindice nullo,  
Sponte suâ, sine Lege Fidem, Rectumque colebant.*

*Pœna, metusque aberant. Nec verba minacia fixo  
Ære ligabantur: Nec supplex turba timebant  
Judicis ora sui; sederant sine Judice tuti.*

*Nullaque mortales, præter sua litora, norant.  
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ:*

*Non tuba directi, non eris cornua flexi,*

*Non galeæ, non ensis erant. Sine Militis usu*

*Mollia securæ peragebant omnia Mentes,*

*Contentique cibis nullo cogente creatis,*

*Arbutos fœtus, montanæque fraga legebant,*

*Cornæque & in duris hærentia mora rubellis,*

*Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.*

*Moxque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum*

*Prodierat. Prodit Bellum, quod pugnat utroque,*

*Sanguineæque manu crepitantia concutit arma.*

4. *Ex hoc Genere erant Garamantha & Indi,*  
qui

quibus omnibus data sunt præcepta Societatis ordinatæ, ut sic per Imperium ordo illis imponeretur exulante confusione Societatem Civilem infelicem planèque dissociabilem redcente.

5. Utrum autem Imperium uni aut pluribus sit committendum? Non exclusâ divinâ Providentiâ quæ omnia transcendit & penetrat, à factio humano secundum sequelam præcedentium esse putarem, prout & *Aplis* innuit, *1 Pet. 2: 13.* Nec etiam Natura hoc difinit; sed temporibus locisque & utilitatibus cujuscunque Civitatis constituendæ relinquit. Si non quémque res ipsa convincit? patet hoc etiam inde, quod *Populus*, si velit, Imperii Facultatem ipse retineat, nec in unum vel paucos conferre cogatur. Quod idem *Boeckl. ad Grotium in proleg. p. 51. in fin. & Cl. D. Ulric. Hub. De Jur. Civ. L. 1.* sentiunt.

6. Verum tamen est hodie triplicem regiminis Politici formam Mundum subisse, ut Suprema Potestas jam penes *Unum* sit, aut penes *paucos*, aut penes *Totum Populum*. Illic *Præmores*. *Isthic* quidam selecti Cives. *Hic* Singuli regunt & gubernant. *Illinc* Monarchia. *Isthinc* Aristocratia. *Hinc* Democratia denominationem sumpsere.

7. Unaquæque species horum Regiminum, propriam sibi, ac fundamentalem Legem vendicat. *Monarchia* summum Jus pro Populi salute, cui se *Cæsar*, Rex, Princeps aliquis dum Inauguratur, adjecto Sacramento devover.

*Aristocratia* optimatum adversus Plebem & Tyrannum Tutelam. *Democratia* Libertatem.

8. Quæ verò Specierum harum Regiminis prævaleat, *adhuc sub Judice Lis est*. Quidam Speciem Regiminis *Monarchicam* præterunt, eò quòd in ea Imperium Liberius exerceatur, & ad deliberandum, aut decernendum, temporibus & locis conductis opus non sit; sed quocùnque tempore, & in quavis Regni parte haberi consultatio possit: Præterea Consilium secretius esse: Exequutionem promptiorem ac constantiorem: Locum Factionibus, Seditionibusque magis præcludi & securitatem ac Libertatem, quam aliæ formæ regiminis tantopere affectant, uberiorem & constantiorem esse: Proindeque Dei Omnipotentis Imperium æternum & indivisum imitari. Perpetuòque Regentem Imperii Artem velut sibi propriam magis addiscere, & Plebem velut Familiam & Oves Pastori subactas Paterno & Pastoralia affectu complecti: Regimen verò *Aristocraticum* & *Democraticum*, hæc, non tam feliciter & commodè gerere valere. Illic enim sæpius Improbi, & nati ad Contentiones & Discordias Animi, regnandi cupidine perciti, iniquis artibus, ad Senatum viam sibi parant, & cum *Julio Cesare* dictum *Euripidis* in *Phœnissis*: *Si Jūs violandum est, Imperii gratia violandum esse*, affirmant. Deinde qui hic prædident, sibiipsis duntaxat consulunt, Subditorum utilitatem aut Plebis commoditatem negligunt, illòsque ut Mancipia tractant. *Hic* Populus omnia

omnia perturbatè aggreditur, major pars vincit minorem: Nulla denique Proborum aut Improborum vel Innocentium habità ratione. Magistratus Opellentorum Bona vi rapit, aliòsque aspernatur: Homines novitatis amore leges condunt & eas postmodum temerè abolent, si quæ uno die decrevère, altero amoliantur & omnia ordine præpostero gerunt. Verùm! Notum est hæc non esse *πῦρ* & veritatis necessariæ; sed contingentia niti; Omnèque commodum habere suum incommodum Prudenti palam est. Nostro Judicio tantummodò vera Pax & vera Justitia floreat: & *Monarchica* & *Aristocratica* & *Democratica* Regiminis forma suo talo consistere potest, Regesque & Moderatores invigilent seriò, ne in istam tempestatem, dequâ *Ovidius Metamorph. Lib. 1. p. 140.* loquitur, Cives incidant.

*Vivitur ex rapto: Non Hospes ab Hospite tutus,  
Non Socer a Genero: Fratrumquòque gratia  
rara est.*

*Imminet exitio Vir Conjugis, illa Mariti:  
Lurida terribiles miscent aconita Noverca:  
Filius ante diem Patrios inquit in Annos.  
Vista jacet Pietas: Et Virgo cæde madentes  
Ultima cælestium terras Astræa reliquit.*

9. Quid autem sentiendum sit de *Gynæcocratia*, Icti pro more suo satis curiosè nos docent, quorum sensus apportare varios non est animus. Quædam tamen quasi summatim delibanda: Si Regnum præsertim sit Patrimoniale & Hæreditarium, & Fœmina sit ex Regnatrice Familia

milia Prudens & Virtuosa & Viritatis amans propter Veritatem ipsam, Fortis, Officium Imperatorium Fœmina nostro mediocri Judicio subire poterit, Consiliariis excitatō ingenio & pietate imbutis stipata. Multa habemus ad hæc exempla: Constat enim sapissimè, Supremâ Potestate jure quodam in Fœminas translatâ felicissimè causas viguisse. 1. *Semyramis Assyriacum* Imperium si non fundavit, summopere 42 annis auxit: *Egyptum* vultavit: *Ethiopiam* & *Arabiam* regno suo adjecit. *Plutarch. Orat. 2. de Virt. Alex. M.* Ultra *Bactrianos* quoque à *Nino* Marito suo devictis Imperium propagavit. Inde progressa Bellum *Indis* intulit, ad quos præter *Illam* & *Alexandrum M.* nemo intravit, *Just. Lib. 1.*

10. 2. *Tomyris Massagetarum* Regina, *Cyrum*, Regem per insidias perductum in angustias una-cum 200000. Persarum trucidavit, adeo ut neque tantæ cladis nuncius superfuerit: Caput Regis amputatum in utrem sanguine humano plenum cum hæc exprobratione crudelitatis conjecit, viz. *Satia te sanguine, quem sitiivisti, cujusque insatiabilis semper fuisti. Justin. L. 1. & Herodot. L. 1.*

11. 3. Sic quoque *Zenobia*, Persas in potestatem suam redegit. 4. *Amazones*, Mulieres *Scythica*, contra quosvis hostes felicissimè, fortissimòque Pectore pugnarunt. *Diët. Cretens. L. 4. de Bell. Trojan. Diod. Sic. L. 3. c. 4. 5. Artemisia Caria* Regina & *Mausoli* Conjunx, cum *Xerxe* Rege adversus *Græcos*, ad stuporem *Græ-*

corum

corum militavit, cui primam etiam palmam navalis prælii ad *Salaminem* facti Rex detulit, & in ipso tempore, dum prælium committeretur, Rex videns eam strenuè pugnantem; viros autem timidiùs, clamavit: *O Jupiter, ex Viris Mulieres & ex Mulieribus Viros fecisti! Trogus Lib. 2. Olyan. L. 8. stragemat.*

12. 6. *Anglia* Regina *Elisabetha*, Classem Hispanicam 120 navibus admirandæ magnitudinis & roboris, quibus similes Septentrio nunquàm antea viderat, quibus inerant 10 millia Nautarum, Classiariorum verò supra 20 millia præter Nobiles & Voluntarios, qui sumptibus suis operam & fidem insigni aliquo facinore Regi probare volebant. Tormentorum ex ære fusili erant 1600 è ferro 1000, plus minus globorum 120000, reliquorum apparatus bellicorum vis immensa, & solvebant 1588. die 30 *Maj* ex portu *Olyssiponensi*, *Hieronymo Vida* imitator Ante Victoriâ accincente.

*Tu, quæ Romanas voluisti spernere Leges, Hispanico disces subdere colla iugo.*

Auxiliante Deo per *Carolus Howardum* Thassiararcham Anglicum & *Franciscum Dracum* Equitem Anglum & Anglica Clutis inferiorem Amiralium Ducibus, octo navibus vilioribus pulvere pyrio, pice, sulphure, aliisque rebus ad ignem concipiendum aptis completis & 7 *Augusti* hora secunda nocturna vento & aestu secundis contra hostilem Classem accensis, emissis, animo Heroico fudit, & suâ Classis

L 5

navi

navi primæ inscribi jussit hoc Epigramma, *Hifpanorum* supra citato contrarium:

*Tu, qui Divinas voluisti spernere Leges,  
Famineo discas subdere colla iugo.*

13. 7. *Dehora*, judicabat populum Izraeliticum singulari Prudentiâ atque Fortitudine Heroïna per annos 40, illumque ab incurfionibus hostium vicinorum defendit, *Judic. 5:31*. Ipsa *Jabin* devicit, ipsa salutem, ipsa Pacem populo restituit & stabilivit: Unde Titulum Matris totius Izraelis nata est, *Judic. 5:7*. quomodo Reges Patres appellamus, quod non summo & illegitimo non convenit. 8. *Jahel* Fortissimo Pectore Celebris *Sisara* Duci dormienti clavum capiti inculsit, & caput impium diminuit, *Jud. 4:21*.

14. 9. *Judith* Holofernem Ducem illum Belli insolentissimum, omnibus formidabilem manu roborata occidit, ejusque Caput ense proprio abstulit, *Judit. 13. 8*. Ut 10. de *Maria*, *Hungariæ* Circumspectissima Regina, quæ A. 1383. imperavit, taceam. Et 11. *Margaretham Danorum* Reginam Scepstrigeram, quæ 1289. floruit, ne allegem. 12. *Christinam* verò *Sueciæ* Eruditissimam hoc seculo Reginam, donec viz. Sapientissimam, fiteam nec adferam: Quæ omnes, Regnorum suorum ipsis conceditorum pomceria, ipsis etiam unguiculis auxere, suæque capita tanquam muros aliquos aheneos contra hostium insultus objecere.

15. 13. Quid quæso Cels. Principis *Francisci Rakóczi* Relicta, hodie Toti Mundo stupendæ Cele-

Celebritatis Herois Serenif. & Ill. DN. *Emerici Tokolyi* Benefida Conjux non efficit? Cujus Heroïca Constantia & Amazonium Pectus ab aliquot Annis Martialibus, ita, in præsentī Mundo Viventibus, inclaruit, ut de Illa homines multitudine innumerabiles affirmare & cantare audeant: Etsi circa cultum sui capitis occupatæ nunciaretur Holtem subesse Fortalitio, alterâ parte crinium adhuc solutâ, protinus præstantiâ Animi & Heroicâ Virilitate quâ insigniter pollet in Militiam fugeret Fortalitiūque defenderet & propugnaret, nec prius decorem capillorum in ordinem, quàm Urbem in Potestatem suam redigeret. O Pectus Intrepidum, verò Laudis Encomiō, Militarisque Gentis Hungariæ Gloriosæ Martis Alummæ Glorioso Nomini, sine Æmulo sinèque Exemplo sui Temporis, sine rugâ maculâque Sacrum! Tibi P. C. Juremeritò *Ennianum* istud Elogium, in Tuorum Facinorum Heroïnarum Encomium inscribere possum:

*Vos etenim Juvenes Animos geritis Muliebres,  
Illa Virago Viri.*

Valeto & Vivito in indelebili futuræ Posteritatis Virtutum Heroïcarum æstimatrice Memoria!

16. Quis nisi mentis inops ex allegatis denegare audeat Fœminis præsertim Hæreditariis, Piis, Prudentibus, Fortibus & Circumspectis Imperii regimen? Quid ad Animum Benè Dispositum, num Vir, num Fœmina regat? Tantummodò vera Pax & vera Justitia in Civitate vigeant: Et

om-

omnia æqua, spontè fluant, absitque violentia rebus? Quamobrem non potuit Principibus Fœminis majorem Contumeliam & Injuriam inscribere Satyricus ille Poëta, quam cum in vulgus opinionem hanc ediderit:

*Regna regunt Vulvæ, clamat Gens tota simul Veb!*

*Interitus Regni est à Muliere regi.*

Quæ injuria à sacris Caputibus planè arcenda est: Nam quoddam Fœminæ contrariis affectuum motibus per horas æstuent & huc illuc distrahantur, in quas & nos & alii invehimur, iniquum est mihi concludere ad Genus & *πάρους*. Quidquod læpissimè ipsi Masculi sint de generes & protervi & Patriæ pestes contagio-  
sæ, velut *Caligula* & *Nero* fuere. *Suetonius in vir. Cal. & Neron.*

17. Si verò quis objiciat: Me tantum Exemplis & non Ratione certare; Exempla autem nihil probare, cum facta simpliciter narrent? Dico ego nec esse imitanda, nisi quando agendi Jus rationi propriæ probaveris, nec Naturæ Legi vel Divinæ adversari, Bonoque Publico convenire, quod acutissimi judicii est & Historiæ cognitio-  
nem plenam desiderat, cum & minima circumstantia vel prætermittitur vel haud satis expensa Jus diversum dicter, nec ubique sit eadem utilitatis ratio aptanda.

18. Deinde nego me sine Ratione certare, cum superius addiderim: Præsertim si Patrimoniale & Hæreditarium sit Regnum & Officium Imperatorium fluat ex Regnatrice Familiâ; Con-

filiariis

filiariis nativâ sordè clutis & pietate imbutis itipata fuerit: Prudens, Fortis & Virtuosa extiterit, Veritatèque propter se ipsam amaverit. Huic meæ Sententiæ & Assertioni Rationi congruè adtupulatur *Ictus Acerrimi Judicii Cl. D. Ulricus Huberus de Jure Civit. L. 2. cap. 2: §. 40.* Profectò Ratio ipsa dicter utilius & magis proficuum esse à Fœminâ Virtuosa & Felici regi, quam à Mascululo, sed perditissimo & Harpiarum instar rapacissimo & ferocissimo: Utimur pro pecore canibus non lupis, nèque removemus à pœnore feles, ut succedant sordidi sorices & mures. Hic subsisto, & cætera Civitatum Constitutionibus, Ictorumque judiciis relinquo.

19. Quid verò de *Theocratia* Hebraica sentiam in sequentibus viridariis expendam, & Imperium fuisse legitimum, Dominium Justum & æquum, quantum per mediocritatem virium licebit adtruam. Et quoddam Veritas semper mihi visa fuerit Antiqua: quippe quæ Jure quod singulis est ante Imperia, Pactis & Lege Naturæ, & Testimoniis, quibus nihil esse potest antiquius, nitatur, illam Venerandam Antiquitatem suspiciendo, à recitramite non desciscam. Pergendum itaque.

20. Doctissimi quidam Scriptores, Deo Regum imperia initio in Gentem Fidelem displuisse autumant: Unde Imperii Hebraici formam fuisse Theocraticam meram, puram, putam & immediatam, constanter affirmant, quorum nominum citationi, honoris ergo parco. Quidquod, *prout dicit aliquis*, etiam quoddam mihi

VI

videtur, multi ex illis Jura, nec Civilia nec Publica didicere, unde inveteratum errorem illis errare necessum est, qui partim ex illa Sententia & Opinione fluere nobis videtur, quæ Jura Summa vel Optimatibus vel toti Populo, vel junctim Utrisque simpliciter, nullo habito respectu ad Reges, assereret.

21. Verum est neque posse aliquem Imperii formas distinguere & discernere, nisi prius J. U. didicerit: Multi verò solâ consuetudine receptæ Sententiæ ducti ronchissant, aut eam Autoritate alicujus Autoris moti, quem, pro more, consentiens hominum existimatio in excelso collocavit, mordicûs tenent. Visum est itaque nobis ex Mente Theologica quædam depromere eaque præmittere, eorumque veriora omnia admittere cum *D. Adriano Hout. Icto Hagâ Batavo*, hanc veritatem foverit ejulque ferè formalibus h. m.

22. Deus imperavit Populo Izraelitico per Naturæ Leges: quomodo aliis Gentibus tunc imperabat, vel invitis, & nunc Toti Universo imperat. Addo per positiva Jura, quibus & nunc totus Orbis Christianus se submittit, nisi quatenus vel Christum adumbrarent, vel Populo singularia essent, quæ extendi ad Gentes ea ipsa Singularitas vetat. Sed & peculiari modo Populo imperasse, ipso Verbo ad *Mosem & Josuam*. Castra per Desertum duxisse, quando movere, ire, agere, castrametari oporteat prodigio monstrasse: præsens in Tabernaculo inter Cherubinos fuisse: per Oraculum, vel si mavis

Ju-

Judicium Oraculi, viz. per *Urim & Thummim* respondisse: per Prophetas Voluntatem suam significasse, omnino concedendum est: erat & ipse Populus peculium Dei, *Exod. 19:6*. Et ego addo, durasse id Imperii genus etiam per Regum tempora ad *Aggeum, Sachariam & Malachiam* Prophetas Babylone reduces, cessante tunc demum unâ cum Prophetiâ, peculiari illo regimine. Et certum est *Urim & Thummim* quoad *Formale* sub Templo Secundo defuisse & siluisse, neque aliquid certi ex *Ezra 2:63.* & *Neh. 2:65.* exterebrare possumus: ut hoc in *1. part. Dissp. mearum de Urim & Thummim*, satis luculenter declarare conatus sum. *Gemarici* etiam, tum Babylonici tum Jerusalemitani passim referunt has quinque res sub Templo Secundo defuisse. viz. 1. *Ignem Sacrum.* 2. *Arcam Fœderis.* 3. *Spiritum Sanctum.* 4. *Oleum Unctionis.* 5. *Urim & Thummim.* Hæc autem colligunt ex vocabulo *ואבנר*, Hag. 1: 8.  $\pi$  quinarium numerum denotante Litera, deficiente.

23. Neque persuadere quisquam mihi conetur cum Electione Saulis cessasse, quasi tum Deum ipse Populus rejecerit, Regem more Gentium vicinarum petens, cum Pientissimus Rex David sæpius & cum fructu Deum consuluisse & interrogasse legatur cum *Urim & Thummim*, 1 *Sam. 23. 2. 6. 9.* 2 *Sam. 2: 1. 2 Sam. 5: 19. 1 Sam. 22: 10. 2 Sam. 21: 1.* Alia longè ejus rejectionis assignatur ratio, quod Deos alienos coluissent 1 *Sam. 8: 8. Coll. 12: v. 10. 21.* &

& illorum Regis petitio superba, fuit tantum auctio peccatorum precedaneorum 1 Sam. 12: 19. Et quod ad formam Regum Ethnicorum circumfitorum, Pompâ & cum omnibus Tarantaris peterent instructum, 1 Sam. 8: 5-20. Superbiâ procudubiò omnium peccatorum fomite tanquam angue in herba latente: ut ex enumeratione requisitorum Regionum per *Samuelem* patet, 1 Sam. 8: 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

24. *Samuelis* rejectioni ea propria aptatur, quod *Regem* sibi petissent, 1 Sam. 8: 7: 8. adde, ejus Pompâ splendidiorem. Néque Deus Populum abdicavit, vel peculium sibi esse deinceps noluit, vel ipse eodem quò prius peculiari imperare modo desiit, teste *Samuele*, 1 Lib. 12: 22. Notatu dignum est sanè, Deum *Jebusitas* è manu *Ammonitarum* auxilio speciali liberâsse post unctionem *Saulis*: liberationem ipsi *Sauli* revelâsse cum spiritu suo, 1 Sam. 11: 6. ipsi executionem proficuam concessisse à vigiliâ matutinâ usque ad æstum dici, ita ut, *Ammonitæ* dispergerentur, néque relinquerentur ex eis duo simul, *ibid.* v. 11. quod sanè Deus non fecisset si simpliciter Imperium Regium ipsi displicuisset, non enim contra suam Conscientiam agere potest, cum sit Summum Ens. *Secl. II. & III.* Néque *Samuel* Vir Integer, scelerisque purus, 1 Sam. 12: 5, 6. & *seqq.* velut Propheta Dei fidelissimus & Libertate Arbitrii Benè Dispositus in contrariam suæ Conscientiæ partem inclinâsset: At ille ait Populo: *Agite! camus Gil-*

*Gilgalem*, ut renovemus ibi Regnum hoc, 1 Sam. 12: 1. Quapropter abeuntes Totus ille Populus *Gilgalem*, Regem constituerunt ibi *Saulem* CORAM JEHOVA *Gilgale*, & sacrificarunt ibi sacrificia eucharistica CORAM JEHOVA, quamobrem lætatus est ibi *Saul*, & omnes *Israëlitæ* pervaldè: Ergo & *Samuel*, 1 Sam. 12: 2. Quod si invitatus fecisset Hypocrita fuisset non Propheta Dei Sanctus, unde Deus ipsum velut aliquem Ecclesiæ *Laodicenses* Angelum tepidum evomisset ex ore suo, *Apoc.* 3: 14, 16. At *Samuel* solus ipse profitetur voluntatem suam spontaneam, rectam & liberam: Ecce, inquit, *auscultavi voci vestre in omnibus quæ dixeratis mihi*: hoc est, Assensum, Gnomæ & Symbolo vestro, sine hypocrisi, simulatione, voluntariò, Rectâ Conscientiâ, spontè & liberè adhibui, & constitui super vos Regem, 1 Sam. 12: 3.

25. Immò Deus *Davidem* vocat, Virum secundum cor suum, cujus *David* conscius, actus à Spiritu Sancto 2 *Petr.* 1: 21. dicit Deum in æternum peculium fecisse Populum *Israëliticum*, 1 *Chron.* 17: 22. Ipse Deus *Salomoni*: Habitabo in medio Filiorum *Israël*, & non derelinquam Populum meum *Israël*, 1 *Reg.* 6: 13. Et *Salomon* hæreditatem & peculium Dei *Israëlem* appellat, 1 *Reg.* 8: 51, 53. Néque sibi esse vel suis Regibus permisit, cum deficientes passim ad verum cultum revocaret. Memorabilis est locus & notatu dignus, quo percussisse *Fojada* Fedus inter Deum & Regem & Populum

lum dicitur ut peculium esset Dei, 2 Reg. 11: 17. Et illustre Imperii peculiaris argumentum historia, quæ & post scissas Tribus Deum Izraëlem de manu Syrorum Regis liberasse narrat vaticinante Elisa Propheta, 2 Reg. 13: 4. 5. 17. 23. Nec dissimilis per Jeroboam liberatio, juxta Jonæ vaticinium, 2 Reg. 14: 25. & seqq. Apud Esaiam legitur: *Tu Izraël Serve mi, Jahacoh, quem elegi Te: Semen Abraham Amici mei. Qui apprehendi Te ab extremis terra, & a selectis ejus evocavi Te: Et dixi Tibi Servus Meus es Tu, Elegi Te & non Reprobavi Te, Esa. 41: 8. 9.*

26. Num verò abjecisse, aut peculiari modo præesse noluisse dicemus, dum inter Cherubinos resideret, per Oraculum tunc responderet? Et post captivitatem per Jeremiam Prophetam: *Ipsi peculium meum eritis: Ego vobis Deusero, Jer. 30: 22. & 31: 1. 33.* Simile apud Ezechielem vide Ezech. 11: 20. & 36: 28. & 37: 27. & 39: 22. Zachariam, Zach. 8: 8. & 10: 6. Malachiam, Malach. 3: 17.

27. Ecce quid nobis! Ecce Deum in Populum Izraëliticum per tempora quoque Regum peculiari Imperio usum fuisse. Neque tamen hoc ipsum nos moratur: Non enim dubitamus Deum esse Principem supra omnes Principes, Exod. 19: 5. & Jus ejus sedere suprâ Diademata Regum, quod ipsum verum fuit ab initio, & verum erit in æternum, ergo verum & hodie: Ergo & hodie merum Theocraticum & nullum Monarchicum datur in Mundo Imperium. Adde quod maximi est ponderis, Exod. 19: 6. *Izraël*

*raël erit mihi Regnum Sacerdotale & Gens sancta.* Quod ipsum Apostolus Petrus 1. Ep. 2: 9. applicat Fidelibus Novi Testamenti: *Vos estis, inquit, Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens sancta, Populus in vendicationem.* Ex quibus eo citius concludere: Hodie quoque meram vigere Theocratiam. Siste gradum! *Audi & Alteram Partem!* Et Subjectus esto cuivis Humanæ creaturæ propter Dominum, ut per illum ut super habenti: Sive Præsidibus, ut per illum missis, ad vindictam quidem malefactorum; laudem verò beneagentium. *ibid. v. 13. 14.* Quid modò cogitas qui disjungenda & inter se distinguenda conjungis & confundis? Respondes te debere subjici Potestatibus superhabentibus propter Deum à quo Potestas procedit, & à quo omnes existentes Potestates ordinantur, Rom. 13: 1. & seqq. Tit. 3: 1. Bene habet! Hoc uno primùm indignum, ut concedatur nobis esse in rebus humanis aliquid, quod vel secundæ causæ ferre nomen queat, cujus admissionem subterfugere ex præmissis non potes: Unde concludo hodie non esse immediatam, meram, puram & putam in Populum Theocratiam, si quidem Politice loquar, cum sint Monarchæ: hoc est, Reges, Cæsares, Principes & Humanæ creaturæ ordinationes singulariter imperantes. Hinc adscendo ad Regum Hebraicorum Tempora, quorum ritus & ordinationes exceptis iis quæ J. C. præfigurabant, &c. ad formam moderni temporis viguisse, & quidem jure & iustitiâ viguisse, vecors negaverit; videtis enume-

rationem requisitorum Regionum Samuelis, 1 Sam. 8: 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Quò posito, illud Imperium fuisse & Humano-Monarchicum negare non poteris; Si hoc? Non ergo fuit Theocraticum merum, & in omnibus à Deo immediatè dependens (quamvis in eo Imperio fuisse quasdam singularitates ipsi Imperio proprias, quæ in aliis reperiri nequeunt, non negem; immò & superius affirmem) cum hodie sint Imperia Monarchica. NB. *Aristocratia & Democratia* nos hic loci non debent morari, siquidem nobis cum *Theocratia* res sit, & ea fiant ex accidenti, sintque etiam Ordinationes Humanae, & sic mihi magis quàm aliis faveant, quamvis & alii velut equos Trojanos sibi vendicent.

28. Deinde, Respondens noster plura adhuc dum largitus est, dicendo Potestatibus subijci deberi propter Deum. Concludo; ergo Deus approbat ordinationes istas; nam, *quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur*, vocabulum autem, *propter*, notat causalitatem, quod ipse notat istis verbis, à quo *Potestas procedit*, & à quo omnes existentes Potestates ordinantur. Hic iterum animadverto voluntatem Dei ordinandi Potestates. Quicquid autem Deus vult, hoc & exequitur, & ipsa voluntas ipsa executio est, quicquid autem facit, facit in Gloriam sui, ut delicias intrà se saliret deliciis extra se. *Secl. III. §. 3. & Secl. XV. §. 8.* Ex deliciis autem quæ tangunt Hominem, emicat hæc deprehensio ratio, quòd velit Deus in similitudine & Im-

agine

gine suâ extra se ludere & deliciari ac acquiescere in istorum operum contemplatione: Nihil autem potest Deus intendere extra se, quàm latari & acquiescere intelligenter in illis, quæ vult: *Secl. XV. §. 9.* Unde, debent esse sine exceptione, ipsum Deum ordinantem, referentes & repræsentantes creatæ Imagines & Icones, ab ipso Indifferentiâ dotata, cum ipse sit Indifferens, *Secl. II. §. 2. 3.* Si hoc? Jam proficua data mihi Falx est largæ Messis immittenda: Unde certissimè concludo Potestates à Deo Ordinatas esse. Deum imitari debere, unde & Dii nominantur, *Psal. 82: 1. 6. & 95: 3.* Habere eas aliquid *Independer* apud se, si quidem Indifferentia in suis intimis foveat, *Illimitabilitatem, Independentiam & Durabilitatem*, quæ *Secl. IV. Demonstravimus.* Posse Potestates pro suo Arbitrio hæc aut illa exequi, hæc, hoc vel illo modo vertere, affirmare, negare, committere vel omittere prout ipsis placet, Deo non impediante; quamvis omnia transcendat & penetret, quæ omnia ulterius probare esset omnium experientiam certissimam per Teutologiam tractare, & actum agere. Experimur & videmus Monarchas: hoc est, Cæsares, Reges, &c. officia & munera eorum ultra modum etiam percipimus, quibus Principes Hebræos fuisse similes Scripta Sacra Ore pleno clamant, E.

29. *Monarchiam* autem solo vocabuli argumento esse unius Imperium sufficienter animadvertere potes: Quod tamen ita præcisè

M 3

capta-

captari nolim, ut quotiescunque plures in uno Regno Domini exstiterent, toties Reip. formam mutari statuamus: Néque enim recte existimaturus videtur, qui in Romano Imperio, si quando plures Augusti fuere, Principatum desuisse contenderet. Cum enim longius illa Societas Imperantium, ab *Aristocratia* quam à *Monarchia* distet, consentaneum est ut ab eà specie, cui proxima est, appellatio petatur. Ita *Lacedæmoniis* duo Reges fuerunt idque Regnum vocabatur, nec non verum fuisset Regnum si Potestas Summa fuisset. Præter quod extraordinarius, atque, *ut ita loquar*, accidentalis ille plurium concursus plerumque habetur.

30. Unde *Dyarchias* aut *Triarchias* in Artem introducere nec congrueret néque expediret; tametsi fatendum, Monarchiæ vocabulum tunc esset minus commodum. Quæ hæc ipsa Observatio, Imperio Hebraico, facile applicari potest plurimis in exemplis. Adde quod à potiori debet semper denominatio summi. A substantiâ Rei, non ab accidente aut circumstantiis.

31. Tandem Titulus *Monarchæ* non debet summi strictissimo sensu; verum latiori, quomodò *Ego* mihi sum *Monarcha* regendo me solum: *Patres-familias* in Familia sua: *Decuriones* supra X. viros: *Quinquagenarii* supra L. *Centuriones* supra C. *Chiliarchæ* supra M. Cæsares, Reges, Principes supra sua Territoria dicuntur *Monarchæ*, quatenus in isto Territorio sibi omnimodè æquales alios admittere nequeunt: Stri-

ctis.

ctissimo autem sensu deberet esse in Toto Mundo terrestri & visibili Monarcha supereminens & visibilis supra omnes Gentes unus, qualem solum hætenus in mundo Adamum fuisse existimo, in cujus femoribus erant omnes familiæ terræ. Cui meæ assertioni adstipulatur, quem & superius citaveram Maximus hujus ævi Chronologus Cl. D. *Paulus Lischynski*, ni fallor in Præfatione Tom. I. suæ Chronologiæ, quod ipsum memini me legisse olim in *Hungaria*.

32. Siverò *Theocratista* ante Regum Tempora, viz. sub *Abrahamo*, *Mose*, *Jehosua*, *Judicibus*, meram fuisse Theocratiam asserat: En ipsi obviamitionem. *Abraham* è *Chaldæa* in *Canaanem* discedit & Familiæ suæ Principatum jure Paterno tenet, unde & Pater Fidelium, Princeps, Rex appellatur. Ajunt *Chetitorum* filii: *Audi nos Domine mi*, Rex s. Princeps Dei Tu in medio nostri, Gen. 23: 6. *Philo* Principem universi Judæorum Generis dicit in *Vita Mosis* L. I. Apud *Justinum* legitur: *Post Damaschum Abraham*, *Israël*, *Moses* Reges fuere. Lib. 36. Præcipiendi jus familiæ suæ Deus illi confirmat: *Quia novi eum*, propterea quod præcipiet filiis suis & domui suæ post se, & custodient viam *Jehovæ* ad faciendum *Justitiam* & *Judicium*, Gen. 18: 19. Quod Præcepti vocabulum & Legislativam & Interpretandæ Legis Naturalis significationem habet. Imperii Jus & exigendæ obedientiæ generatio ei tribuit.

33. In servos jus ex consensu fuit. Exercitum adversus Reges quatuor eduxit, Gen. 14.

M 4

Et

Et in Federe cum *Eschol*, *Aner*, *Mambre* fuit, *Gen.* 14: 13. Sic Jura Principatûs in Familia exercuit. Territorium non habuisse, cum quòd advenain alieno dicitur, *Gen.* 11: 3. & 12. & 30: 1. 2. & 21: 34. & 23: 4. & 26: 1. & alib.

34. Tum facta ei promissio probat, *Gen.* 13: 14. & 15: 7. & 8. & 17: 8. & 26: 4. Princeps igitur in Familia sua, subjectus quòd in altero consisteret solo & in alieno delitesceret territorio.

35. Idem de *Isaci*, *Gen.* 26. & *Jacobi* Jure & Peregrinatione sit judicium, *Gen.* 28: 2. 10. 13. & 29: 1. & 31: 13. 18. & 33: 18. & 34. & 35: 12. 21. & 45. fin. & 46: 1. & 47: 9. Jacob possedit Gosen ut supplex & inquilinus habitatione nudâ, quod jus pascendi pæcoris & incolatûs probat mero ex Regis *Pharaonis* indultu ad arbitrium revocabile, *Gen.* 47. Igitur sui Juris non fuit dum in *Ægypto* consisteret etsi Primores suos, Seniores s. Presbyteros ut in cœtu privato solet ad moderandum ordinem *Izraëlitæ* habuerint, *Exod.* 5: 14. *Exod.* 3: 16. 18. Coercendi Facultate & Judicandi Summâ Potestate penes *Pharaones* manente, alia omnis necessario ex Jure esset: Tali Jure Populus ad exitum usus.

36. *Mosẽm* fuisse Regem Jure merito, ipsa *Mosis Virga* declarat & Sceptrum Roboris Dei, quo instructus *Moses* in *Ægyptum* legatus est, ut dominaretur in *Pharaonem & Ægyptios* hostes, eos percutiendo mirabiliter & generosè vincendo: Unde, *Virga Mosis* Regalis terrore sua

suo *Pharaonem & Ægyptios* vel invitos pertraxit in confessionem scelerum, Juris Dei & Justitiæ vindicatricis in pœnam, ut *Pharao* Rex in hoc descenderit ut exclamando dixerit: *Pecavi mri Justissimus; Ego verò & Populus meus improbissimi*, *Exod.* 9: 27. & 10: 16.

37. Regem hîc videmus Sceptrigerum *Mosẽm*. Hinc Sceptro insignes Deos suos *Saturnum & Jovem*: Sed & Reges Ethnici fecere: Unde apud *Homerum* *Agamemnon & Uliſſes* Σκηπτρον ἔχον Sceptrum habens, ut cœteri Reges Σκηπτρῶν βασιλεῖς Sceptrigeri Reges, ut *Dii & Reges Gentium* ex *VIRGA MOSIS* Regiâ, *Afuerus* ipse מֶלֶךְ אֱשֵׁרִים *Virgam Auream*, mutuati fuerint. Fuere enim Summo *Mose* posteriores.

38. Etiam fuisse Regem Populi submissio probat, *Exod.* 20: 19. *Deut.* 5: 33. Ipse Deus ad *Mosẽm*: Sta apud me & loquar ad te omne Præceptum & Statuta & Judicia mea, quæ docebis eos, ut faciant ea, *Deut.* 5: 31. Deinde Populus: Legem præcepit nobis *Moses*: Hæreditatem concioni *Jacob* & fuit in *Jeschurim* s. rectitudine Rex, in colligendo se capita Populi, pariter *Virgæ Israël*, *Deut.* 33: 4, 5. Non quidem Nomine & apud Exteros sic divagante, & *Pompâ*, Rex fuit; sed Jure Regio Populum gubernavit: *Pompa* autem Jus Regium non confert: juri splendorem aliquem externum addit: internus splendor in ipsa Majestate: h. e. Potestate summa est.

39. *Philoni* non semel *Moses* dicitur esse Rex,

& Imperium Regnum, de *VITA MOSIS Lib. 1.* Judicamus obedientiam esse Virtutem, præsertim sub Principe qualis Tu es; Populus ait *ibid.* Imperasse igitur Mossem & cum Imperio summo, Regio, Populoque præfuisse manifestissimè apparet, quod ipsum in *Disp. nostra, de VIRGA MOSIS* satis luculenter probatum est.

40. Quid quod Mossem tulisse Leges tum Sacra, tum Civilia spectantes, adeò manifestum est, ut nihil manifestius, *Exod. 20: 21. 22. 23. & c. & 31. versult. Levit. 18. & 19. & passim, Numer. 30. Deut. 14. & 21. & aliquibus seqq.* Sic frequentissimè loquutus est Deus Mosi: Moses Populo loquutus. Sic Populus: Tu loquere ad nos, quæcunque dixerit Dominus Deus noster. Lex data prius Mosi est: ipse Populo tulit, & Publicam fecit, ut Populo esset: quo pertinet quòd ipse Deus Leges dederit per manum Mosi, *Levit. 26: 46. Num. 36: 13.* quod de Decalogo & aliis in Pentateucho verum est.

41. Deus loquutus Mosi, Moses Populo promulgat, quod dat esse Legi: Moses præcepit Populo cuncta, quæ Deus in Monte Sinai loquutus erat, *Exod. 34: 32. & alibi sapius.* Cuncta repetit & Populo in vim Præcepti annunciat, *Exod. 35.* Leges omnes quas ferendas Deus in Exodo & Levitico dictaverat, ipse in Deuteronomio: Ut Leges suas fert, ut instituta sua annunciat, *Deut. 12. & seqq. & passim toto Deut.* Sic *Deut. 4: 1. 15. 45. & 5: 1. & 6: 2.*

&amp;

& 8: 1. & 10: 13. & 11. *sep. Cap. 12: 23. 32. cap. 15: 5. 15. & 27: 1. 10. 11.* Sic pluribus in locis, ut faciatis instituta & Leges quas ego præcepi vobis: in *supr. cit. locis.* Alibi: Legem dedit nobis Moses, *Deut. 33: 4.* Præcipienti obedit Populus prout promiserat, *Exod. 20: 19.*

42. Notare possumus insignem Jurisdictionem ejus circa sacra, cum Vitulum aureum & Idololatrias ejus, *Exod. 32: 20. Deut. 9: 21.* Scortatores cum Filiabus Moab, Baal-Pehori sacra facientes idololatrias, jussu isto ad Principes: *Occidat quisque proximum suum, Num. 25: 5.* puniri jubet. Multam Civilem instituit, *Deut. 22: 19. 29.* Gratiae jus quoddam exercuit dum Azylosum loca constituit, *Num. 35. Deut. 19.* Judices creavit ut & Præfectos, cum limitata jurisdictione Decuriones, Quinquagenarios, Centuriones, Chiliarchas, *Exod. 18. Deut. 1.* Montem petens Judicium suum *Aharoni & Hur* mandat, *Exod. 24: 14.* Sacerdotes cum vestibus instituit, *Exod. 28. & 29. & 40. Levit. 8. Num. 3: 10. & 8. & 18. & 20: 26. & seqq.* Levitas constituit, *Num. 1: 49. & 3: 25. seqq. 4: 9. seqq. Num. 8.*

43. Jubet Deus omni Imperante superiori quâ ratione eâ parte Juris summi uteretur: Soli itaque ejus Juris summi exercitium mandat: Ipse igitur Moses & in eo actu in ordine ad homines superior, ad solum Deum inferior est.

44. Per *Josuum* contra *Amalekitas* bellum in

in Deserto gessit, *Exod.* 17: 8, 9, 10. Sub Principibus Tribus distribuit, stationes, metationes, singulis assignans, *Num.* 2. & 10: 14. *seqq.* Aciem adversus septem Populos Canaan parat, *Numer.* 21. &c. Cuncta in acie ordinat: Caltra metatur: Limites definit quousque procederet miles: Congreditur: Vincit: Prædæque & universam terram Canaan Tribubus singulis possidendam dispertitur, *Num.* 26: 53. & 27: 4. *seqq.* & 31: 27, 42. & 32: 29. *seqq.* & 34: & 36: 2. *Ios.* 13: 15. *seqq.* & 18. 7.

45. Sed quod de Summa Potestate nihilo plus tollit, quàm qui Judicium & Leges dixit esse Dei: Neque enim alter altero magis præcipiente Deo agit, quum tamen qui Judicium sic exercet, Leges fert, summus esse in eo Exercitu non desinat. Sic Imperii actus humani omnes ab summitate divinâ imperantur, qui iidem quod ad homines imperant.

46. Lxx. Seniores s. Presbyteros congregat Constituit, *Numer.* 11: 16. 17. 24. 25. quos adjectos tantum in levamen sui synedros habuit, *S. Iden. De Syned. Lib.* 2. C. 1. n. 8. Deus suadet; sed ita, ut totum Electionis Arbitrium committat ipsi Mosi, Congrega Tu, ex Senioribus quas certas personas volueris, Arbitrii Tui Liberæ Electioni relinquo q. d.

47. Ipso Mose inferiores ipsa Mosi Electio: Judicium: Eorum processus indicat. Subjectionem, Spiritus à Spiritu Mosi participatio indigitat & manifestissimè probat. Imperasse Mosén ei concilio patet, *Numer.* 25: 5. Neque verò Mosés

Mosés Subjectus Collegio fuit, vel Collegium æquale Mosi: Sunt hæc cum natura Imperii & Subjectionis pugnancia, Imperium subjectionem, Æqualitas summitatem excludit.

48. Nemo nisi Summus solus Deus supra Principem s. Summam Majestatem in Civitate, esse potest. Rex soli Deo peccat. Igitur nec hominem debet, qui ejus facta dijudicet, nisi magna necessitas necessitet. Judicia superioritatem indicant: summo superius esse non potest & Judicium non sine Jurisdictione, Jurisdictio non sine coactione est: At penes Principem omnis est Jurisdictio: ipse nulli est coactioni subjectus aut subnoxius, quoniam & penes illum solum est, omnis est, coactio, dum penes illum solum Jus omne in personam sit.

49. Igitur Senatus Mosén non judicavit: nec Jus fuit unquam Regem judicandi, *Seld. L.* 3. *cap.* 9. n. 2. Mosés de Autoritate rei judicæ disponit, *Deut.* 17: 10. *seqq.* & 21: 5. & 24: 8. Ad Mosén Supplicatio erat, ut qui & congregato Senatu Rex; hoc est, Superior & penes ipsum interpretatio Legis semper summa est, *Deut.* 33: 5. An ipse interfuerit Senatui ad Sententiam in eo dicendam? non dubito. Ex quibus concludo, Mosén Concilio præfuisse: Omnia ab eo pependisse: Mosén per omnia superiorem, quod & inter Jura Majestatis est, extitisse.

50. Sic Majestatem plenissimam in Mose, cum ex Submissione, tum ex Operationibus, Cernis, Præfectis & Judicibus, Synedriis, Pontifice, Sacerdotibus, Levitis, totoque Populo, Superiorumque fuisse, patet.

51. Jura

51. Jura Majestatica post Institutum Pontificem, Ordinem Sacerdotalem & Synedrium exercuisse: neminem in partem cum Jure summo admisisse, *Exod. 19: 12. 13. 21. 23.* Tandem cum esset in ætate decrepita centum & viginti annos natus, *Deut. 31: 2.* Vocavit Josuam, *Deut. 31. 7.* & Imperium cum morte, si liceat Mortem nominare, deposuit: & uni Josuæ, non aliis tradidit. Ex quibus omnibus Mosis Imperium fuisse Monarchicum videnti clarum est. Hæc eadem cum D. Cuneo communia sunt, de *Rep. Hebr. p. 1. L. 1.* cum ait: *Conditæ Hebraeorum Resp. à divino maximoque Viro Mose est, qui primus rem in terris est aggressus omnium pulcerrimam, &c.*

52. Igitur Josua destinatus successit Mose nec Vocatione, nec Jure Mose impar, postquam Moses desuisset apparere, submissio Josuam salutavit, & submissio æqualis Jus æquale dedit, *Jos. 4: 14.* Pontifici *Urim & Thummim* consulenti supra Josuam nihil tribui potest. Nèque Jus Josuæ hinc tollitur magis, quod jussum consuleret *Urim*, quam vel Mosis, quod Deum de ore ad os consuluit, aut per Aharonem loquutus fuerit, vel nunc Principum quod Evangelium vel scripta vetera consulant: ut hoc in *tr. de Urim & Thummim demonstravimus lucide.*

53. Dux vocatur Josua, *Jos. 1.* Nèque repugno; duxit enim Populum in terram promissam, prout Moses dicitur Dux quod educerit populum ex Aegypto, *Exod. 3: 10. 11. 12.*

Saul

Saul fuit Rex: nominatur Dux, *1 Sam. 9: 16.* Sic David, *2 Sam. 5: 2.* Salomon à Davide, *1 Reg. 1: 35.* Nèque tamen Saul, David, Salomon non Summi fuere, denominatione sumptâ ab ea parte Majestatis, quæ inter præcipuas nominatur. Sic Serenissimus Princeps Transylvania in his Oris, tum in Novellis, tum in Scriptis aliis plerumque nominatur Dux Transylvaniæ; non tamen eò nomine desinit esse verè Summus Princeps Transylvaniæ, Partium Regni Hungariæ Dominus, & Sicularum Comes. Sic Deum Ducem invocamus:

*Duc me, nec sine me per me Deus optime Duci:*

*Nam Duce me pereō: Te Duce salvus ero.*

Qui tamen est Rex in Secula benedictus, *1 Tim. 6: 15. 16.*

54. Summitatem Majestatis Josuæ per partes hic demonstrare nimium esset Libelli Corpori, *Vid. tot. Lib. Josuæ & D. Houtny. in Mon. Hebr. Summa Summarum:* Izraelitæ Josuam venerati sunt in diebus Vitæ suæ ut Mosem, supra Regem probatum, *Jos. 4: 14. vide sis.* Principibus imperavit, *Jos. 1: 10.* Seniores, Principes, Tribus & Judices ad se accersi jussit, *Jos. 22: 1. & 23: 2. & 24: 1.* Eos dimisit, *Jos. 22: 6, 7, 8. & 24: 28.* Sacerdotibus imperavit: *Tollite Arcam Federis: Et sustulerunt, Jos. 3: 6. & 4: 17. & 6: 6.* Quod Imperium Deus ipsi dederat, *Jos. 3: 8. & 4: 15, 16.* & ipsi se adfuturum promisit, *Jos. 3: 7.*

55. Publica Præcepta, non Deus Populo; sed Josua promulgat, monet, docet, instruit de servanda Lege, de colendo vero Deo cum fide.

fidelitate cordis sub Promissione & Comminatione pœnæ, *Jos.* 8: 34. & 23. & 24. Quod ipsum, ferire potest *Hobbesium*: Summitatem post Moſem, fuiſſe penes Pontificem M. aſſerentem. *Leviah. cap.* 40. Secus ſentit loc. *Jos.* 5: 2, 3, 7. *Jos.* 4: 14. & præcedentia confirmant. Contrarium docet aditus *Gibeonitarum* ad Joſuam ſolum Fœderis paciſcendi gratiâ, *Jos.* 9: 3, 6, 11, 15. Eorum auxilii petitio à ſolo Joſuâ adverſus *Emoreos*: Quibus, nemine conſulto ſubvenit, *Jos.* 10: 6, 7. Reges *Haji*, *Jeruſchaimorum*, *Chebronis*, *Jarmuthi*, *Lacichi*, *Heglonis*, è ligno ſuſpēdit, *Jos.* 8: 29. & 10: 26. *uſque ad fin.* Terram Canahanis univerſam diſtribuit, quod eſt Jus maximum apud *Itos*, Potēſtati Summæ, Domino vel Deſpotæ Sacrum. Ergo fuit Rex, Dux, cum Summa Potēſtate Princeps Populi: Unde & Monarchia, Aſſerente & *Flavio Joſepho Antiquit. L. 2. c. 4. Circa finem & alibi.*

56. *Hobbeſius* deinde ſupponit, cum dicit: Summitatem poſt Moſem fuiſſe penes Pontificem M. diverſas à ſe mutuo debuiſſe fieri Perſonas, ut ſic à ſe mutuo ritè diſcriminari poſſent, & una alteri præeſſe Ordine & diſtinctione individuâ valeret, in quo maximè errat: Videmus enim cum Potēſtatem Majeltaticam, tum Pontificatum duas qualitates in perſona ſingulari *Eli* coaluiſſe; nèque contra Legem ſpecialem: Erat enim *Eli* per *Ithamarem* ex *Aharonis* proſapia. Etiam quòd non ſemper diſtinguebatur P. M. ab illo Monarcha ſ. Imperante Summo, velut  
in

in Moſe apparèt, cui Aharon, Moſi naturale accidens oris & Linguae caulato, junctus fuit ut os, Propheta ſ. Interpres, propter impeditam tardamque Moſis Linguam, utiq; conſiderandus proponitur ut perſonam Moſis ſuſtinens, ſicut Interpres vicem tenens perſonæ cujus ſenſa, cogitata & edicta profert. Quamobrèm Moſes, & Aharon illius os unicâ etiam Virgâ inſtructi fuerunt, *Numer.* 17: 8. coll. *Num.* 20: 11. Quod exemplum fuit exemplar ipſi poſteritati, ut hæc, ſi ratio poſtulet, conjungi queant, & Summitati, inferior Majeltas, in principio ab ea nata, adjumenti ergò adiciatur.

57. Cæteris ſequentibus Judiciſus ſingulis Jus idem Summum ad Saulem uſque, ſi majus non acceſſit, cujus in Scriptura S. altum eſt ſilentium, tribuendum eſt; ex toto Lib. Judicum patet.

58. Majeltas ab exercitio & operationibus intelligitur, quòd *Grotius* & aliis notatum eſt, nos & ex Submiſſione addimus, quæ Juris dati probatio in *Gideone*, *Abimelecho*, *Jephthæ*, apparèt: nèque diverſa de aliis præſumptio eſſe debet, quam hiſtoriæ brevitatis non expreſſerit.

59. Appoſitè *Grotius*: Quotiens Deus cœleſti judicio aliquem, Populo excitaverat, qualis fuit *Joſua*, *Gideon*, *Jephthæ*, *Samſon*, *Samuel*, eiſetiam, citra Senatatum, judicandi Jus erat, ut apparèt *Jud.* 8. *Grotius ad Matt.* 5: 22.

60. *Abimelech*, Rex non uno loco dicitur,  
N Jud.

*Jud. 9: 6. 16. 18.* & Parabolâ Arborum Regem sibi petentium firmatur, *Jud. 9: 8.* & Regnâsse dicitur, *Jud. 9: 22.*

61. *Othnieli*, Victoria adscribitur, ut Potestati Summæ TRIUMPHUM reportanti solet, & illius manus robusta facta dicitur supra *Chuschanem Rischhathajimorum*, *Jud. 3. 10.* non Populi, quasi cujus persona in persona Principis esset.

62. *Jephtha*, Princeps Populi ex Seniorum consensu, *Jud. 11: 7.* Hinc *Petrus Cumanus*: *Judices prænando edicendoque Prætores*, Dictatoresque dici posse, etsi in Sacris Annalibus *Judices* appellentur, ratione haud multum diversa. At *Flavius Monarchas* vocavit, in *sup. cit. loco. quod* nomen etiam *Syllæ*, *Cinnæ*, *Mariique* & aliis Dictatoribus Romanis, Græci dedere. Fuit etiam cum iidem rebus civilibus intenti agerent, causasque audirent; sed graviores: Quomodo *Moses*: Rarò enim pro Tribunali sedebant, jussus modò & imperium & summa rei ad ipsos pertinuit. *D. Cumanus de Rep. Hebr. p. m. 68.* & *Grotius* Interregibus & Dictatoribus Romanis comparat. *Annot. ad Genes. 36: 31. Deut. 17: 9. Jos. 1: 18. & ad Act. 13: 20.* Dictatores autem intra tempus suum omnes actus eodem jure exercebant, quo Rex qui est optimo jure.

63. *Interstitium* inter *Josua* & *Othnielem*, *Samsone* & *Eli*, nos non moratur, etsi regiminis forma ibi non appareat: Certum est enim unam quamque Tribum suam habuisse Virgam

Virgam & Principem, *Exod. 17: 2.* Unde ab *Josua* ad *Othnielem* singulas Tribus cum Imperio summo fuisse puto, ut solent distinctis Territoriis Jura distingui: erant enim Tribus inter se æquales, deficiente igitur Principe, supra omnes Jus manebat singulis. Moles dicitur ut Rex individuus collegisse Capita Populi pariter & VIRGÆ *Israëlis*, *Deut. 33: 5.* verum occasione arreptâ una quæque Tribus suam Virgam solvebat & sibi singulare imperium vendicabat, præside Principe Virgam sibi sumentem. Siquidem & VIRGÆ seu Sceptrum, sit signum Potestatis Summæ, ut supra monueram *§. 36, 37.* Fluxere enim istæ Virgæ duodecim ex Virga *Mosis Regali* ut insignia Potestatis, unde tactum ut *Jacobus* morti proxinus se se inclinaverit ad fastigium Virgæ *Josephi*, *Gen. 47: 31. Coll. Hebr. 11: 21.* Simile *Grotius* ad *pr. Lib. Judic.* Et nos alibi in *tr. de Virga Mosis.*

64. A *Samsone* ad *Eli* non erat Rex, Scriptura S. dicit, *Jud. 17: 6. & 18. 1. & 19: 1. & 20. ult.* Reges ergo antea fuere Judices. Et quòd non erat Rex s. Judex, Imperium eodem modo, prout ab *Josua* ad *Othnielem* ad Tri-  
baum Capita & Principes redierat, recessit. Junctæ Tribus in Commune consulvere, ut dixit *Grotius* ad *Judic. 19: 29.*

65. Bellum adversus Benjaminitas gerunt, ibi *Benjaminitæ* suum Caput habuere Princeps. Exercitum educunt unanimes à *Dane*, *Beersehebam*, & terram *Gilbadis* usque, quadringenta millia virorum peditum strigentium gladium,

dium; quasi Vir unus esset, *Jud.* 20: 1. tantus animorum consensus ipso interstitio erat. Legatos mittunt, *Jud.* 20: 12. Deus præest populo & aliquis interest, Primas, Judex v. Rex ex omnibus præcedentibus hoc modo animadvertimus, hic Capita Populorum præesse loca *sup. Cit.* testantur, aut solide probant. *Cæterum, vid. Solut. sup. §. 29, 30.*

66. Non ergo fuit Imperium Hebraicum cum quorundam crassa cogitatione, sententiâ & assertionem, immediate & merè Theocraticum, quamvis hoc idem in nostro *tr. de Urim & Thummim* pro tenuitate illius temporis stabilire cum Theocratistis *Disp.* 1. §. 9. & 20. voluerimus: Monarchiam fuisse, hic, aditruimus, sub Imperantibus visibilibus & plenipotentariis, Dei vicariis, vice Diis, quomodo de Mose supra Aharonem Deus loquutus ipsis Diis terrenis, ut in Exodo & apud Psalmistam, *illic* cap. 4: 16. & *hic* cap. 82: 1. 6 & 95: 3. qui Jure Summo ad Deum accederent, solo Deo inferiores, aliis cunctis superiores: Populus, Primores vel singuli fuerint, vel mixta quædam species.

67. Quid quod nec ipse Deus populo, *ut hoc subinde ingeminem*, immediate locutus est; quin personam aliquam singularem interpositam habuerit? Celebria sunt loca *Deut.* 5: 10, 30. ubi dicitur Deus Populo loquutus; verum mediante Mose ut dicitur *ibid.* v. 11. Prodigia publica *viz.* Nubes, Columna, &c. Ministerio Moïsis Populo profuere; nec ali-

quid

quid egit Populus nisi Mediante Mose.

68. Locus alter est *Judic.* 20: 27, 28. ubi etiam Pinechas filius Elhazaris præsens in faciebus Dei erat. Nec aliquid ex eo loco eliquare poterit quis, nisi Naturam *Urim & Thummim* ritè sciverit & ejus muneris requisita familiaria habuerit. *Quæ omnia in tr. de Urim & Thummim declaravi.*

69. Igitur ratio nulla videtur esse, quæ in Theocratia quasi specie juberet acquiescere. Et naturæ humanæ transcendunt limites, & hominis, Dei imitationem in Similitudine & Imagine ejus ignorant, qui Theocratiam meram fuisse volunt. Restat igitur ut Monarchicum fuisse istud Imperium & Dominium Justum vel saltem ab Abrahamo ad Templi secundi excidium, cum Populus & Gens esse desierit, dicamus. In Captivitatibus sui Juris non fuerunt, imperio imminente & dependente à Vincente: Hinc Cyrus Rex, dicitur alicubi in Scriptura S. Servus Jehovæ, & alibi imperatur Populo Captivo, ut orent pro ipso Imperante in captivitate Populum detinente, *Jer.* 29: 7.

70. Ex hætenus dictis itaque Theocratista distinguat in Imperium Hebraicum: Fuit Theocraticum s. divino Monarchicum in ordine à Deo ad Imperantes, quos Deus immediate aut singulariter vocabat & edocebat, & in ordine ad quasdam singularitates ipsi Populo proprias, & Jesum Christum præfigurantes: At Imperium in exequutione quatenus pendebat à vocatis

N 3

&amp;

& edoctis in ordine ad Populum colla flectentem, fuit Monarchicum, Justum & Aequum. Addere possumus h. u. si Deus merè imperasset ut Monarcha solus ipsi Populo; Monarcharum autem Officium perpendamus, qui, etsi Populus sit degener, conantur tamen efficere ut TRIUMPHUM at hostibus semper deportent: At Izraëlitæ sæpius devictos legimus, unde ignominia soli Deo Omnipotenti ab homine mortali devicto imputaretur, quod homini Christiano affirmare, vel adminimùm dicere, aut audire, horrendum est, calunnia execrabilis & detestabilis, omni Veritatis indagatori, appellanda.

71. Legitimis, Justis & Aequis Principibus opponitur Tyrannus, scilicet, qui ad Imperium dolo malo præter Mores & Leges aspirat, nihilque non molitur ut propositam Potestatem obtineat; tandem, quamvis nullum Jus imperandi habuerit; suâ tamen astutiâ nanciscitur, postquam verò obtinuit, Imperium impotenter acerbèque tractat: aut Jure in Solium evectus, terminos Summæ Potestatis sibi Jure delatæ præfractè & notoriè egreditur, sua privata spectat commoda, non Populi dependentis: Omnia metu, egestate, calamitate complet: Magnates immeritò proscribit, trucidat, sibi Propinquos metu amissuri Imperii percitus propulsat, arcet, incarcerat, mactat & sanguinis dura fames mortale ejus pectus in enormia peccata deportat. Populum strage fundit, expilat & bonis evacuat: Nunquam saturatur instar

instar *Haluce Filiarum* duarum *Da, Da.* Prov. 30: 15. Contendit, ne quisquam quicquam habeat per modum *Neronis* apud *Suetonium*. Nihil turpe ratus, seu populum calamitatibus atterat, seu innocentiam criminibus oneret, tantummodò proposito fruatur.

72. Sed misera est Tyrannorum conditio, qui quos insectantur timent, quos prosequuntur fugiunt, metu in Autores redeunte. *Necissum est multos timeant*, inquit Seneca, *quos multi timent.*

73. Sed ubi certò constat rem ita habere, initium resistendi à quovis potest fieri, Magistratúsque nihilo plus habere juris quam infimos civium adversus Summam Potestatem; illi enim sunt obnoxii Tyrannicis perplexationibus & typhophantiis patris.

74. At tamen rectiùs & tutiùs hoc casu principium à Summis Magistratibus fiet, eò quòd huius eorum hæc de re sit judicium, & quòd minore confusione res geri possit ab illis, ut factum à *Bruto* contra *Tarquiniam*, à *Sergio Galba* Hispaniæ Proconsule ex persuasione *Julii Vindicii* Galliæ Præsidis Viri Justi & Fortis pertesi Tyrannidis, contra *Neronem*.

#### Seçtio XIX. De Imperantium in Civitate Summorum Officiis.

1. **P**ostquam Jus Dominandi asseruimus & adstruximus ipsa methodus postulat ut Officia Dominantium, in quibus Punctis consistant,

sistant, submissâ aliquâ quasi aliquantitate, quoad potiora, contemplemur: Non enim nobis mens est Diis hujus Mundi & Filiis excelsi, *Psal. 82:6.* ex tenui suppellectili araneorum tela depungere & turbulenter eis sacra facere, aut post Sciolos & Fratres Arrogantiæ *κατα πόδας* vel ad minimum currere, aut manus eis porrigere. Hæc & similia alia, *Pacuvii* Proavis, Atavis utenda relinquimus; verum quæ Recta Ratio dicat explanabimus, Orbi Literario proponemus.

2. Reipublicæ interest ut Personæ Tutelaris non tam Corporis, quàm Animi Viribus: Unde, Virtutibus, & Rerum scientiâ, micent: Non enim propter Corporis; sed Animi Vires contigit ante temporum centurias Imperium: Et qui hæc in parte prævalere, soli digni habitunt, qui reliquis dominarentur. *Scet. XVIII. 6.* 2. Debent excellere maximè rerum illarum scientiâ, quæ ad munera eorum collimant; quomodo enim ad laudem conficiet ea quis, quæ haud apprimè caller? & iis Leges præscribet, quorum indolem ignorat? Ut itaque Regimen Principum Felix, Faustum, Fortunatumque sit, illis vacent sedulo, & intendant duntaxat mediis, quæ ad istum finem conducunt, contemptis & amotis aliis oblectationibus & voluptatibus carnalibus, quæ optimam indolem perimunt, Virtutes Animi Corporisque frangunt & effœminant, Ingenium hebefaciunt, Consilium eripiunt, & honesta omnia obscurissima reddunt. Populus ipsis concreditus ob oculis nocte diæque hæreat, ejus curam ne possideant;

beant: Nam sicuti Medico salus proposita esse debet: Ita Principibus Civitatis, Beata & Felix Civium prosperitas & VITA obversari debet, ut Opibus firma, Copiis locuples, Gloria ampla, Virtute honesta sit.

3. Debent itaque Principes apprimè Regni & Civitatum ipsis demandatarum indolem calere, quippe cum non sit æqualis ubique regendi modus, pro diversitate Regnorum diversæ sunt Leges observandæ & condendæ. *Primum* igitur debent noscere, quæ Leges sint Fundamentales; An quod suscipiunt Regnum sit planè Monarchicum? An verò aliquid *Aristocratici* aut *Democratici* dominatûs admixtum habeat? Quid in illo Primores, quid Plebs valeant? *Secundum*, debent noscere, quæ sint Regni Amplitudo, situs, Commercia, Munimenta? qui Vicini limites obsideant, & teneant, & quæ ex illorum affinitate aut dissidio utilitates & incommoda Regno accedant?

4. Per historias veteres ire ne reculent: Ibi enim reperient sine labore, quæ alii collegerunt cum sudore, atque illinc haurient & Bonorum Virtutes & Improborum Vicia, VITÆ humanæ varias mutationes & Rerum in ea conversiones; mundi hujus instabilitatem, & impiorum præcipientes casus: *ac ut verbo complectar*: Malorum Facinorum pœnas & Bonorum præmia, quorum illa fugiant, ne in Justitiæ divinæ manus incidant, hæc amplectentur, ut præmiis; quæ ea comitantur, potiantur. Itaque Virtutibus inhæreant ut eorum exemplis totus componatur orbis.

5. Virtutes, superius expolatas & lustratas *Sectionibus* scil. VIII. IX. X. & XI. sectentur, easque sibi familiares reddant. Ut Apostolus dicit ad *Ti. 2. 12. Piè, Justè & Temperanter VITAM* suam traducant; omnibus enim exemplò sunt positi, cum Principibus Populus currit, cum iis Populus claudicat, & eorum Virtutes, Vitiàque patrata, Publica faciunt.

6. Animadvertant meliùs esse benè imperare, quàm Imperium ampliare. Siquidem Principis Boni sit videre illud: Non tam latè, sed quàm benè imperet. Itaque non tam Vi & Potestate, quàm Prudentià & Sapientià opus est in Imperio.

7. Nec ullis unquàm majore opus est. 1. *Prudentià*, quàm eis, qui de rebus maximis, arduis aut inopinatis consultant. 2. *Pietate*, quàm iis, qui Subditorum Animos debent potentiùs devincire, persuasòsque reddere, se Deo curæ esse, quem tam religiosè colunt. 3. *Justitià*, quàm iis, quibus incumbit, omnia æquà lance administrare, improbos coercere, de Rep. optimè meritos præmiis afficere & constanti perpetuàque Voluntate Jus suum cuique tribuere. 4. *Omnium generum Virtutibus*, quàm iis, qui sunt instar speculorum in commune spectaculum expositorum, quæ omnes homines in iis contuitos, ipsàque spectantes, faciem suam nativam in eis considerantes, testes oculatos habent.

8. Cum autem duplex ratio temporis sit confi-

sideranda, alia Pacis, alia Belli, Imperantibus quòque alià Prudentià in Bello gerendo, alià in tranquillo Reip. statu, opus est. In hoste vincendo, & Bello ferendo, Ducibus strenuis ac Fortibus nec non peritis utendum. In pacatà verò Rep. Doctis & Prudentibus viris negotia utiliter expedienda rectè committuntur.

9. Hoc duplici hominum genere nullus Princeps, nulla Resp. carere potest. Hinc factum est ut Summi Heroës, Literatos, summo semper sint prosecuti honore & amore: *Alexander M.* Philosophos, Mathematicos, Oratores & Poëtas. *Augustus Caesar*, Mæcenatem, Horatium, Virgilium & alios, Ovidio ad suas vias misso. *Trajanus Imperator R.* Philosophos, quibus magno stipendio conductis, & è longinquis regionibus evocatis, eos tantifecit, ut *Dionem* in CURRU TRIUMPHALI secum veheret. Ut talibus Gemmis Corona Imperii fulgeat, Scholæ & Academiæ fovendæ, ex quibus velut ex *Equo Trojano*, non Miles Barbarus; sed Literatus evolet & prouat & Gloriam perennem & TRIUMPHUM gloriosum parti suæ reportet.

10. In illa priori Ratione Temporis Imperatori non est semper necessarium interesse omnimodicationi, cujus ratio plerumque est Prudentiæ non Juris, exemplo *Davidis* &c. *Secl. XX. §. 10. 11.* Néque Bellum est temerè suscipiendum; sed urgente necessitate. Sicut Medicus non recurrit ad Ferrum & Ignem, nisi ten-

tatis frastrà levioribus remediis: Ita Imperatores, Bellum seu inferendum, seu excipiendum meditentur, seriò vires suas metiantur, num obstare impetui, aut quod moliantur exequi pares sint. Quippe si impares se se sentiant, sciant Prudentiam sæpè negare, quæ facere aliàs Juris esset; itaque ab irrumpendo abstineant, ne Hostibus occasio præbeatur illa Jure aggrediendi, quæ antea citra injuriam suscipere non poterant. Tempestivè Hostibus eorūque invasioni, ubi sanè de impotentiâ constiterit, per Mediatore, estò sint *Principes* interjectæ regionis, estò ex proprio milite *Legati*, estò per morem veterem *Caduceatores*, occurrant, eligantque potiùs aliquid de Jure suo cedere, quàm totum Regnum in discrimen adducere.

11. E diverso ubi viribus prævaluerint & variis injuriis laceßiti arma capeßerint. Hostium fines transiliant, ferroque protervos aggrediantur; sed in quantum Religio sinet & Ratio suadet. Victos pœnitentiâ ductos in gratiam recipiant, omniumque offensarum obliviscantur; quamvis eos ex justa causa ulcisci, deque iis supplicium sumere possent; Nam hæc summa Principis laus est in offensione Clementiæ studere, injurias contemnere, Animum iracundum vincere, parcere subjectis, & debellare superbos.

12. Animadvertant plurimos Reges, Cæsares ac Principes, Clementiâ ac Lenitate suâ Imperia sibi acquisivisse, acquisita conservasse, conservata auxisse & amplificasse. *Carolus V.*

Im,

Imperator, Prudenter Res suas confecit, non affectibus suis indulgit; sed omnia Clementiâ, & Mansuetudine peregit. Quapropter Icon & Imago ejus tali Laude atque Encomio meritò ornatur:

*Quis Te Victorem dicat, qui vinceris ipso*

*Inviçlus victo Cæsar ab Hoste Tuo?*

*Si veniam victus petis Hostis, protinus illi*

*Parcis, & errati Te meminisse piget.*

*Non Te Hostis Cæsar; sed Te Clementia vincit;*

*Et Ratio; cum sis Victor & Ipse Tui.*

*Vincere Laus ingens Hostes, & parcere victis*

*Gloria; sed sese vincere major erit.*

Hæc *Alexander M.* Clementiâ totum ferè Terrarum Orbem imperio suo subjecerat. Hæc Potens factus est in Gallia *Julius Cæsar*. Cujus præclara vox notanda: *Nulla ex re majorem se capere Voluptatem, quàm Injurias condonando & Beneficia compensando.* Optandum esset, ut sententiam hanc Christiani omnes, maximè Principes & Magnates, non solum in pectus demitterent; verùm etiam imitatione exprimerent. Fide Cæsar Paganus fuit & Gentilis; sed hæc in re fecit tanquàm optimus Christianus.

13. Fas sit mihi Vivo certare Exemplo *Principis Transylvanie Celsissimi, Domini mei Naturaliter Clementissimi, DN. DN. MICHAELIS APAFII I.* Qui quot & quantis ab initio laceßitus est injuriis; tamen ad ignoscendum potiùs quàm ad ulciscendum pronior semper fuit. Quod ipsum vel saltem proximis superioribus Annis Toti Mundo patefecit, Fortalitium

tium *Szathmariense*, Inviſſimi Imperatoris Romanò-Germanici Milite ſtipatum, cum multis Millibus ſuorum & Portæ Ottomanicæ Copiis obſidendo, Miles Turcicus velut Leo rugiens & ferociſſimus Chriſtianis incluſis inhiabat nutû ſaltem *Principis Ceſſiſſimi* deſideratò: Unde numerosam Chriſtianorum obſeſſam Cohortem Miles inſolentiſſimus velut guttam Elephantis leviter conſumere ſummâ cum atrocitate velox erat: Verûm, poſtquàm ex Legatis percepifſet certò deliberatam Obſeſſorum contumaciam & barbarorum Paganorum videret ferociam, reſeſſum ab urbe meditatù eſt, quod ipſum dum Miles Turcicus ſubolſeſſiſſet inſtar furientis Beſtiæ in iram rabidiſſimam ſuæ barbariei congruam raptus, ſelopeta nitrato pulvere, plumbeiſque globis onerata, manus clavis, ceſtis, acinacibus & ſemiſpathis inſtructas, verſus *Ceſſiſſimi Principis* Tentoria exonerare, *Principemque Naturaliter Clementiſſimum* manu barbarâ tranſverberare decreverat: Tamen Ille Amore erga Chriſtianitatem ductus, ſuborto tumultui potiùs, quàm inordinatæ Gentis ferociſſimæ petitioni conſuluit, & multitudine pæcarâ, Caſtra obſeſſo Chriſtianitatis GREGI ſubduxit. Ut cætera Virtuofa ejus Facinora erga Chriſtianitatem Facta digniſſima taceam, quæ in *Viennensi* toti Mundo cognita & horrendum Chriſtianitati metum incutiente obſeſſione nupera præſtitit: Armorum ſtrepitus & inhospita ſaxa movère; Ille tamen, quàmvis ſe præſentem ſtiterit, monitus involuntario acceſſu,

ceſſu, quieti potiùs & ſilentio quàm ſanguini ſtudit, & ſic in Bello, Pacis negotium geſſit. Nec incipere Bellum unquàm ſatagit, niſi hoc voto ut quàm primum deſinat: Digna ſunt hæc ſua pietate, digna iſto faſtigio, non cujuſquam jura armis attentare, non veteres turbare fines; immò præter peccandi licentiam nihil adimere. Ut & in Eccleſiam Sponſam Chriſti dulciſſimam & ejus Emolumentum, ſingularem conatum & perſonalem Studiorum Liberalitatem ſileam. Quid quod ab inimicis dolosè agentibus Virtute ſe impares fatentibus, pernicioſis factionibus, perplexationibus & ſicophantiis multis vicibus ſubortis, rebus Divinis potiùs quàm Humanis remediis incubuit, ne dicam impalluit, certò perſuaſus propitium Sibi adfuturum Deum, quem puro Pectore & Animo nobili colit, cujus cauſas perdiùs & pernòx aſſerit, vendicat & defendit, Ipſumque liberaturum, & Subditis ſingularem erga Illum Reverentiam inſuſurum, tandem emicaturum poſt nubila Phœbum. In talibus caſibus cum ferire apparentibus *Wendelini* Theologiam Chriſtianam à ſcommatibus puriſſimam Sacraſſimis ſuis Manibus à Latino idiomate Patriâ Civitate donavit. Tandem inſperatis & diabolicis iſtis Conſpirationibus in nihilum redactis ſeriâ pœnitentiâ ductos in Gratiam recepit eiſque ignovit, & Litteras quàm plurimas apud Conjuratos inventas aboleri juſſit, ne cogeretur aliquem invitus odiſſe, & ne Manluetudo ſua iſis labefactaretur ut invito extorqueretur. Durus quidem eſt erga Ho-

Hostes pertinaces; sed affectu miserationis fertur erga humanitatem, putans; immò certò sciens: Inhumanum planè esse humanis casibus non ingemiscere.

14. *Ista* & alia quàm plurima enumerationi meæ impossibilia ejus Clementiæ fuere Facinora virtuosissima,

*Quorum si nomina dicam:*

*Icaria numerum scribere coner aquæ.*

O si hodie tales Clementiæ Vices pro Tuis Vitiis redderent Tibi P. C. Vicini! Et Christiani, non à Gente Barbarâ; sed ab ipsis Christianis & eorum ferociâ VITAM Tuam indemnem & inculpatam liberarent & tantâ Clementiâ, quantâ præivisti P. C. Tibi & Populo provisioni Tuæ concredito Charitatem redhostirent! Optandum esset.

15. Facinore Literariò declarâsti Te Pacis esse Filium & Masculam Clementiæ Sobolem, plurisque æstimare supercœlestia quàm humanæ pravitatis, & corruptionis deplorandæ, nœnias fordidas. Ex his fiet, ut quas nos nunc regulas ex libris petimus, in posterum ex Tuis actionibus tanquàm ex perfectissimo exemplari petantur. Quamvis immundus non animadvertat Mundus: innuis tamen Regni Custodem esse Clementiam: Unde ego ritè dicere possum:

*Ceu Mundi, sic est Regni Clementia Custos:*

*Nec Virtus major Principis esse potest.*

Quàm verò pulcrum hoc, quàm gloriofum, quàm ipsi conscientiæ lætum, ut si quandò Te Deus ad suum Regnum; quod solum Tuo melius

Ius & amcenius est, vocaverit, audacter possis dicere: Hunc ego à Te Gladium pro Iustitiæ Tutela accepi, hunc Tibi nullius temerè fusi sanguinis reum, purum infontemque reddo.

16. In *secunda* quam præmisimus Ratione Temporis, viz. in Pace, Imperatores Civitatis, *Primo* Religioni puræ inrigilare debent, non tam Armis quàm Hominum Conscientiæ convictione laborantes & pugnantes: Natura enim Liberi Arbitrii Humani est ut semper determinet & nunquàm determinetur, & ista sola sequatur ad quæ se determinavit; sequitur autem illa proptereâ, quia vult illa sequi sine ulla necessitate vel aliâ cogente causâ, quàm quia illa vult velle, sequi & amare, unde necessitari non potest: Ergo solâ convictione Conscientiæ opus est, non violentâ, sed morali; non cruciatibus & torturis ipsis Inferis & Furiis competentibus; sed Sanctis & zelo plenis affectuum blanditiis: Nemo enim se ab invito coli vellet, ne homo quidem. Confer. *Psal.* 54: 7. Unde Rex *Navarre* in literis ad Nobiles *Aquitania* ap. *Dinethum Lib. 6. Histor. Gall. fol. 488.* rectè scribit: *Non Gladio sed Persuasione ac Vi Doctrina in Cordibus Hominum Religio plantatur & honeste VITÆ Exemplo confirmatur.*

17. Videmus plurimos tales Tortores & Tyrannos magno conatu agere magnum nihil per modum Poëtarum *Sisyphi* lapidem ad aciem Montis volventis, decepti, & iterùm revolventis, & sic in infinitum, quem non risere

Poëtæ. Indignum est Principi moliri aliquid, & à Subditis risu & sannis excipi. Hoc ludibrii sibi pullulascit, qui contendit conscientias dominari. Appositum esse potest *Stephani Báthori Ungari, Regis Polonia*, non minus pium quam verum Dictum: *Deus ait Ille, tria sibi reliquit: 1. Ex Nihilo aliquid creare. 2. Futura prænunciare. 3. Conscientiis dominari*: Unde nemo mortalium habet Jus ferendi Leges de Rebus intrinsicè ad Sacra pertinentibus, quia in hisce Jus ligandi Conscientias Deus sibi soli reservat, denunciatione, quæ ministerium est, commissâ duntaxat Verbi Ministris.

18. Simile est quod *Maximil. II. Imperator* dixit: *Nullam esse Tyrannidem intolerabiliorem quam conscientias dominari velle: Cum solus Deus sit Conscientiarum Dominus*. Et in eandem Sententiam quoque inquit *Lactantius l. 5. Instit. divin. C. 19*. Quis imponat mihi necessitatem vel credendi quod nolum, vel, quod velim, non credendi? Nihil tam Voluntarium quam Religio, in qua, si Animus aversus, jam nulla est.

19. Ridiculum est! *Alexander M.* Immortalis Deus esse voluit, quod ipsum remis, velis, intendit. *Lacedæmonii* decretum ejusmodi fecerunt: *Ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, θεὸς ἔστω*: H. E. *Quoniam Alexander Deus esse vult, esto*. Quò dicto planè *Laconicè* irriserunt ejus stultitiam, ambitionem & intentionem. Et hanc ob causam *Alexander M.* toti Græciæ suisque omnibus exosus est factus & ridiculus.

20. Sæ-

20. Solet autem plerumque esse ut quò quis est sceleratissimus eò profundius contendat in Religionem invehere aut illi inhiare. Est adulter, scortator, ebriosus, terrenis voluptatibus deditus, attamen ille vult Deo semen quærere: *Scilicet atque crucem!* Protectò plus *Orando* quam *Laborando* comparatur perennis Gloria. Non dicit *Johannes Baptista Christi* Præcursor: Convertite Auditores, aliter, si ne dubiò baculis vos excipiam: Sed dicit moraliter: *Respicite, appropinquavit enim Regnum Cælorum, Matt. 3*: 4. Ipsumque Christum digito monstrat: *Ecce, inquit, Agnus ille Dei, qui tollit peccata Mundi, Joh. 1*: 29. non Agnus ille quem p. n. mactatis & offertis. Sic *Jesus Christus* in sua Concione prima: *Matt. 4*: 17. eodem stylo utitur: *Respicite, appropinquavit enim Regnum Cælorum*. Non dicit: Respicite & me sequimini; secus enim petam Legiones (quòd sanè facere potuisset) à Patre meo, & vos in servitutem meam, vi, furialibus stimulis, igne & ferro, quam nunquam sperabatis, redigam; verum nudè suam Sententiam proponit, Conscientias Auditorum penetrare intendit, dicit, *Respicite*; motivum addendo: *Appropinquavit enim Regnum Cælorum*. Sic jussit, Apostolos docere & baptizare; non verò jussit, ut eos, qui audire nollent interficerent, aut Civilis Potestatis Autoritate ad credendum compellerent.

21. Huc respiciens *D. Paulus* ait *2 Cor. 10*: 4. *Arma militia nostræ non sunt carnalia, sed divinita τῆς θεῆς Potentia Deo*: hoc est, à Deo, ad

O 2

sub-

*subversionem munitiorum.* Similiter Christus Johanni Apocalyplico apparens, *gladium* ore gestare visus est, *Apoc. 1: 16.* Hic per *Gladium Christi* & per *Arma Apostolorum* non *aperiuntur* intelligenda sunt arma, & gladii externi sive corporales: Sed spirituales, ut ipsa oppositio *2 Cor. 10:* evincit: hoc est, Evangelii prædicatio, quâ Christus ejusque Apostoli mundum debellarunt.

22. Christus semper quadratè: hoc est, eodem modo se habet, videtis: *Matt. 11: 28. 29. 30.* *Venite ad me qui fatigati estis & onerati:* hoc est, qui vos onere peccatorum gravatos sentitis, & in vobis ipsis nullam quietem invenitis, & ego faciam ut requiescatis: *Attollue jugum meum in vos, & discite a me quod mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Non dicit se dedisse alteri jugum suum ad imponendum alteri ferro & igne: Nec dicit Magistratibus hujus mundi: *Pergite & pellite igne, ferro, furialibusque carnificinis mihi Gregem:* Et ego stans in occulto pullos alloquar hoc modo: *Venite ad me igne ferro pulsi:* Sed alloquitur verâ pœnitentiâ ductos & suorum peccatorum probè conscios: *Venite ad me qui fatigati estis & onerati.*

23. Nec etiam feralis ista crudelitas ipsius humilitati conveniret; is enim est Agnus Dei os suum non aperiens *Joh. 1: 29.* Verum humilitate, Charitate, mansuetudine, aliisque Virtutibus pugnans, à quo solo Pastore mite, in quo omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ abs-

absconditi sunt, *Col. 2: 3.* possumus discere, quòd humilis sit corde, cujus jugum facile & blandum opusque leve est.

24. Sed est quod superius dicebam, tales Religioni inhiantes & insultantes plerumque solent esse scelerati & quos Conscientia vexat ut Saullem. Omnino verum est, qui non habet Conscientiam propriæ Virtutis, invidet alienæ, & metuit insidias sine probabili ratione. Unde rectè *Salustius* in *Catilina* inquit: *Tyrannis, Boni, quam Mali suspectiores sunt, semperque illis aliena Virtus formidolosa est.*

25. Unde satietatem in sanguine Proximorum reperiunt, ut inde sacrificia suo Deo, homicidæ scilicet diabolo, *quoniam tales Tyranni Deo vero re ipsâ carent,* offerant: Si verò contrarium meditentur, & putent se Deo Opt. Max. Deo Forti, Zelotæ, Causæ suæ Vindicti, Nominis assertori, Veritatis protectori sacra facere? Cum multorum stupore erubescant. Quasi Furiis & Cruciatibus Inferalibus Proximorum certate, idem sit, ac Causam, Nomen & Veritatem Dei vindicare, asserere, protegere, aut ei ex lapidibus filios exsuscitare! O scelerata humanitatem exuentia, animam rationalem in bestialem savitiam & ferociam vertentia capita! An non hoc est illud, quod Propheta ait *Malachias c. 1: 8.* Deo offerre Animalia cœca, clauda, ægrota, quæ Ducibus suis ac Curatoribus offerre Sacerdotem ipsum puduisset? Percipite vos immania & ad cœlos clamantia patrare peccatorum Facinora:

ra: Effunditis sanguinem Innoxii? Clamitat ad cælum, *Gen.* 4: 10. Defraudatis mercedem Operariorum? Clamitat ad cælum, *Jac.* 5: 4. Rapinas agitis? Clamitat ad Cælum, *Hab.* 2: 11. Concutitis & opprimitis Viduas? Orphanos? Pauperes? It clamor cælo, *Exod.* 3: 7. & 22: 22. 23. 24. *Conf. v.* 27. His annumeratur Scelus Sodomiticum, *Gen.* 18: 20. Isthoc memoriali:

*Clamitat ad Cælum Vox Sanguinis & Sodomorum,*

*Vox Oppressorum, Merces detenta Laborum.*

26. Unde-nam est ea hominum natura, ut si quid turpe commiserint, facta sua talibus circumstantiis adornare, tamque speciosum emplastrum addere satagant, ut fucus raro perlucere queat, saltem ut nihil contra honestum & iustum commisisse credantur? Et hoc est quod *Seneca Lib. 4. de Benef. c. 7.* ait: *Quis est qui non Beneficus videri velit? Quis non inter scelera & injurias opinionem boni affectet? Neminem reperies qui non nequitiae præmiis sine nequitia frui malit.* Tales sunt Deus est testis teterrima pestis. Putant se virtute propriâ salutem alteri imponere posse: O quantum est in rebus eorum inane! Sanè non abludunt à stultitiâ *Neronis*, quem postquàm *Tiridates Rex Armeniorum* à *Corbulone* devictus: Dominum & Deum suum, seque ejus servum nominâisset: *Nero* approbavit & addidit: *Ego te Regem Armeniorum facio & tu atque illi* (nempe Pater & Fratres) *simul intelligatis, in mea Potestate esse Regna dare & adimere.*

*Dion*

*Dion in Nerone §. 13.* Planè sicut Diabolus ad Christum dicebat, *Luc. 4: 6. Tibi dabo potestatem hanc universam & gloriam illorum*, nempe omnium regnorum Orbis, *quia mihi tradita sunt, & cuicunque volo do illam.* Quæ diabolica est superbia! Idem de Papa Romano judicium cito:

*Promittit Christo, nec habet sua numeram.*

*Ridiculum est? Cælum sic dare Papa potest.*

27. Dicimus itaque, quòd Magistratus, præsertim Christianus, subditos ad Religionem cogere non debet. Quia violenta hominum ad Religionem atque Fidem coactio, *Primò*, est *ἀνεφελος*: Nam nullibi in Scriptura S. præsertim in N. T. mandatum est, ut homines Christiani externâ violentiâ, ferro, gladio, flammâque ad Religionem capeffendam cogantur. Parabola autem *Luc. 14: 23.* planè nobis favet.

28. *Secundò*, est *ἀνέλεος*. Nam perverfus & inversus ille docendi ordo ut in Ecclesia violentâ coactione fiat initium, planè ignotus est Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ; immò illi est è diametro contrarius.

29. *Tertiò*, est *ἀλογος & ἀνέλεος*. Ideoque cum infelici successu conjuncta. Violentis namque & cruentis mediis homines ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalienantur & irritantur: Coactio enim illa non Fidem; sed Hypocrisim tantum inducit. Unde pulchrè ait *D. Gregorius*: Qui Fidem asperitatibus pro-

pagari volunt, suas, non Dei causas probantur attendere. *Tertull. in Lib. ad Scapulam cap. 2. p. 88.* Religionis non est, cogere ad religionem, quæ spontè suscipi debet, non vi. Et in *Apolog. c. 23.* inquit: Videte, ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis; ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolum. Phi pudeat Christianos non Jesu Nazareni; sed Antichristi, qui filius est diaboli, spiritu abundare, & tantopere Proximorum sanguini inhiare, ut Christianus magis anhelet sub Turcis Ethnicis & Barbaris VITAM suam traducere, quàm sub Christiano Principe!

30. Omnium maximè contra has veritates errat *Servus Servorum* & ejus *Asseclæ*; uti ex Inquisitione Hispanica constat: Ipsi enim *Jesu* Principes atque Magnates subinde ad arma capeflenda adversus subditos Pontificiæ Religionis non addictos incitant. Quod ipsum luculenter patet ex *Costero in Enchiridio*. Ut & vel saltem ex illa impiâ adhortatione ad Imperatorem Romanum de *Lutheranorum* extirpatione efflorescit:

*Quâ ratione queat Germania salva manere,  
Accipe consilium Lector Amicem meum.  
Vere Jure Tuo Cæsar, sectamque Lutheri;  
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.*

31. Non equidem Magistratibus s. Potestatibus Majestaticis Jus Sacrorum omnimodè subducere contendimus; novimus enim Magistratus Politicos utriusque Tabulæ esse Vin-

di,

dices: Verùm à violento & notorio Conscientiarum Dominio arcemus.

32. Admittimus etiam Membra esse Ecclesiæ & quidem Peculiaria divinitus concessa, unde Rectâ Ratione Judice; Hominem Homini Lupum esse, injultum & iniquum dicimus, maximè Majestates velut Capita Corpus tutantia, Subditos esse non decet: Quamvis suum esse inextimabile Bonum sit.

33. Quòd autem sint Membra Ecclesiæ Peculiaria, Excellentia, divinitus concessa: Divinam, Humanâque Majestatem; tanquàm Summa duo ista Capita sartam, testamque conservare debent.

34. *Primò* quidem *Divinam Majestatem*, quia longè gravius est, æternam, quàm temporalem offendere Majestatem: *Aut. Gazaros C. de Heret. & Manich.* Accipitur autem illa Offensio aliter in sensu merè *Theologico*, aliter in *Juridico*. Sensu *priori*, omnis divinæ Legis transgressio hominem vel minimâ parte Divinæ Majestatis reum facit: In *posteriori* autem, tantum, quâ quis est Sacrilegus, vel Hereticus notorius, aut *Apostata* s. Atheus, aut Magus, aut simpliciter & absolutè Blasphemus: hoc est, Talis qui de Deo pugnantia cum ejusdem natura, in contemptum vel in contumeliam dicit: Pœnâ mutilationis linguæ tales puniuntur, dispositione *Caroli V. in Const. Crim. XVI.* Jure Divino, pœnâ lapidationis, *Levit. 24: 16. 1 Reg. 21: 10.* Qui mos, Legibus *Hungaricis* adhuc dum hodie stabilitur *Triparsitô Verböczianò*. Jure Can-

O 5

nico

nico poenâ perpetuâ Pœnitentiæ. *C. f. de Maled.* Vid. *Ant. Matt. de Crimin. Lib. 48. tit. 10: n. 6.* & alios *Idios de Pœnis*.

35. Licet etiam invigilare Christi Dei Ecclesiæ in Doctorum Comparatione. Facultas tamen eligendi Doctores rectius cœtui Fidelium ipsi totum relinquitur: Non tamen videtur ad internum & inseparabile Jus Conscientiæ referendum. Modò non admittantur, quàm qui à peritis rerum Sacrarum, idonei ad docendum sint judicati; omnibusque potestas conquerendi refutandique libera detur. Quibus servatis Conscientiæ satis consuli nec absurdum esse videtur jus eligendi ab Imperatoribus exercere.

36. Personas & Bona Ecclesiasticorum Magistratibus nullo jure subduci extra controversiam collocamus; ut & publicis Præstationibus atque Pœnis propter commissâ Legum sine dubio sunt subiecti.

37. Etiam ut ob malos Mores causâ cognitâ, non tantum stipendio, quod è Publico capiunt; sed & munere docendi certo loco privari possint. Non tamen pro omni re vili, maximè si plus adiaphori in se Res ista contineat, aut Juris recti & æqui, affligi debent: Prout fecerat *Jacobus I. Rex Angliæ*: Contigit ipsi tempore matutino ire venatum & inter nemora ac sylvas sui Regni oberrando unâ cum suis Cubiculariis & Administris, prout etiam in tali negotio Res geri solent, separatur à suis istis comitibus quærendo sibi terras, factum est ut aberret & suos relinquat: Unde

Unde, solus ipse per saltus, sylvas & sui Regni dumeta & nemora ventre famelico oberrat. Casu petit Pagum aliquem, quem dum transcendere vellet, audit tripudium aliquod, certò ratus esse convivium, incidit Animi cogitatio in ventrem famelicum, hinc adit Hospitem Diverforii quæstionem instituens: *Quinam sunt qui ibi letantur?* Convivas esse Caupo respondit & quidem V. D. Ministros numero XVIII. Alteram instituit quæstionem: *Licet ne mihi, equo desilire & intrare, cibumque cum ipsis capere?* Caupo reponit: Interrogabo. Caupo Convivas illicò consulit de præsentia cujusdam Militis instar alicujus Nobilis; verum multum famelici & esurientis, qui cibum impræsentiarum sumere vellet? Illi connivent. Rex ignotus intrat: Cibus sibi sumit, ventrem famelicum refarcit, calices appositos exhaurit. His finitis Pastores sciscitantur ab Hospite, quanta sit Summa debiti salarii. Hospes Summam proponit illicò. Cogitant Pastores quid sit faciendum. Ultimus & miserrimus omnium ait: Militi, vel Nobili præfenti, sanè, ut advenæ parcendum esse; sumus enim XVIII. ille verò solus. Verba rapit Præsul, seu supremus omnium qui aderant & distissimus reponendo: Non sic profectò faciendum: Sed *Higlydi Piglydi*, quæ apud *Anglos*, quamvis sint nihil significantia vocabula; sunt tamen Technica à *Scotis* ortum ducentia, quibus volunt exprimere *Tantum Quantum*: Hinc, Militi *Tantum Quantum* solvendum esse: hoc est, det *Tantum*, *Quantum* unicus ex nobis. Miles cum

cum hoc audiret dicit: Maximè sic est faciendum; nam ego edi & bibi, unde Tantum Quantum, à me quoque expendendum. Inter cetera temporis Comites Regis aberrantes cum summo desiderio videndi Regem & lassitudine sui in quærendo Rege advolant ipsi Pago, in ibi, Diversorio huic peculiari, cogitantes Regem famelicum ibidem delitescere. Irruunt in Diversorium attoniti, speciatim in Convivium ipsum Pastorale, & ejulant: *Ubi est Rex? Ubi est Rex?* Pastores præsentem mirantur & expavescent. Quid hic tumultus & turbo sibi velit, ignorant. Unde, obstupuerunt, steterunt, que comæ, vox faucibus hæsit. Audiunt Nomen Regium & adesse præsentem ignotum aliquem: certò concludunt illum esse Regem. Hic iterùm Conticuere omnes intentique orantene. Silentium advolat altum: mox idem advolat, surgitque tota Caterva Pastorum ad omnia obsequiosissima humanitatis officia Regiæ Majestati exhibenda: Deprecantur & veniam de præteritis petunt, regunt præsentia cernendo futura. Rex Serenissimè benignèque responsum dignatur; Nihil, inquit, commisit; verùm habeo quæstionem ad vos: *Estis ne P. D. Ministri?* Respond. *Servi Tui sumus.* Rex incipit examen ab ultimo, qui nolebat Regem expendere pensum. Quærit, quanto gaudeat in circulo Anni salario? Respondit miserrimus omnium ipse: Servus Tuus Serenissime Rex per Annum habet 300 flor. Hæc quæstionis formâ adscendendo ad decimum octavum usque, imprimis

primis *Higlydi Piglydi* clamantem. Exquirat quanto ipse gaudeat? Respondit humiliter: Sex Millibus flor. Dicit ipsi Rex: Tu satis benècumbis; sed hoc est nimium pro tua persona; Impossibile enim uni, tantum pecuniæ per Annum consumere personæ. Itaque, quoniam volebas esse tam rigidus in tuo jure exequendo, quod ipsum & exequutioni mancipasti: Agnosce Me Regem esse & posse dicere *Higlydi Piglydi*. Ego impono ut inter tuum salarium, & hujus inter vos miserrimi, fiat æqualis divisio, & eveniat *Higlydi Piglydi*: hoc est, Tantum Quantum. Tu sumito ex 300 illius 150: Ille verò ex tuis 6000, sumat 3000, & sic unicuique eveniant Tria Millia Centum & Quinquaginta. Hancce Historiam fateor me non legisse in Autore aliquo; verùm ex Homine Vivo audisse, Pastore viz. Anglico, ætatis decrepitæ Viro, Octoginta scilicet Annos nato, hoc tempore Hospite meo *Amstelodamensi* summè exoptatissimo, ut dicebam, Sene Venerando. Sed quicquid sit: Extentore Historiæ videmus quid contigerit, quo Jure factum fuerit? Erudito Lectori ex præcedentibus ruminandum relinquo. Mihi videtur Præfulem æqualem divisionem Fratres non conturbantem optasse: Regem autem prout satis benè famelicum capiosè edisse & bibisse palam est. Constat etiam Contractus, ut dicitur, Innominatus: *Do ut des.* Verùm varia sunt Jura Civitatum pro earum modulo: Unde, multum non inquirimus, verbo sensum exposuimus. Pergimus itaque

38. Quandoquidem Ecclesia cœtus sit à Civitate quasi distinctus, Bona ejus in usum Reipublicæ Potestates convertere non possunt. Nihil magis quàm res cuiusque privati; quatenus tamen Resp. & Ecclesia aliter servari nequit aut ob causas valdè pias, alienari possunt; quoniam ad tales usus vel maximè comparata esse videntur.

39. Cœterùm esse liberum Summis Potestatibus dissidere à cultu recepto non minùs quàm privatis, res ipsa loquitur. Nec ideo Cives Principi obsequium denegare possunt, quòd de Sacris aliter quàm prævalens Populi sui multitudo sentiat; quin immò jus habere Summas Potestates publicum cultûs exercitium suis Symmictis permittendi, in universum quidem, indubitatum videtur: Cultum verò alterius Religionis pro tempore, retardare, non Conventus & Cultum Dei pro suo ritu, Lectionem librorum eorûmque Doctores abigere, multo minùs cruciare possunt; quoniam, ut & superius monebam, hæ res ad necessariam Conscientiæ administrationem, quæ non est subjecta imperio, sine medio pertinent.

40. Ex his & quæ similia sunt, potest colligi, quonam sensu Principes *Capita Ecclesiarum* dici queant: Etiam judicare licet utrum Ecclesiæ Præsulibus competat Legislatio; competit Jurisdictio circa sacra: An Summæ Potestati illud potius tribuendum. *Vid. Rev. ac Cl. D. Joh. Vander Waeyen Epist. ad Eliezerem p. 160. & seqq. D. Adr. Hout. Polit. Gener.*

in not. ad §. 63. Cl. D. Hub. de Jur. Civit. L. 1.

41. Dicebam superius Magistratum, Majestatem Divinam & Humanam sanctam tectamque conservare debere: Actum de priori, sequitur posterius. Quantum verò ad hoc attinet: Consistere dico in Crimine duplici: 1. *Læsæ Majestatis* in specie dicto. 2. *Perduellionis*. Illius pœna capitalis rata habita est ex constitutione *Arcadii & Honorii L. 5. c. ad L. Jul. Maj.* Secundùm quam 1. Reus gladio necatur. 2. Memoria ejus post mortem damnatur. 3. Bona publicantur. 4. Filii fiunt infames.

42. Pœna solet esse hujus læsionis tam rigida, ut ad ipsos Lunaticos & Stolidos quoque extendi possit, ratio politica hæc est, ne aliqua iniquitas hujus Criminis sub simulata aliqua insaniam specie delitescat. Habemus exempla hujus in Anglia *Chamberlayn in not. Angl. c. 4. Thomas Wood in tr. ejusd. Tit. c. 3.* Sed tamen ubi de illorum absolutâ & simplici stultitiâ constiterit, capitali supplicio eos punire iniquum esse ducem. *Vid. Rat. Sect. XVI. §. 1.*

43. Tale crimen committunt illi qui Legitimis Magistratibus aut eorum Lateralistis supplantant: Nomen calumniis afficiunt & facto dicto ve atroci, quamvis non hostili in Remp. Animo eorum venerationem violant immediatè: aut nec in Magistratum, nec in Remp. hostili feruntur affectu, veruntamen audaci facto Magistratui pro potestate quid agenti obstrigillant, ejusque jurisdictionem mediatè turbant, quales sunt *Falsi monetarii, Privatorum carcerum extructores, &c.*

44. Per-

44. *Perduellionum* nomine veniunt, contra Majestatem pertinaciter Rebellantes, quorum omnium poenæ capitales pari passu ambulant.

45. Juxta Mores quarundam Gentium, *Lesæ Majestatis* & *Perduellionis* rei domus, etiam à fundamentis evertitur, aratroque in eam inducto, sale deinde aspergitur. Est sanè ritus consideratione dignus. Secundum quem variant E. E. sententiæ, militamen præ omnibus quas hætenus legisse contigit, placet *Hispani* cujusdam *Isti* hanc de re opinio, qui rationem ædium diruendarum petit ex *C. Felic. de Poen. in 6. ibi: Fiant habitationes ejus deserta, & ut non sit, qui eas inhabitet, dentur cuncta ædificia ipsi in ruinam, & ut perpetua notam infamiae perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur.*

46. Quod autem Aratrum in eas inducatur, eleganter putat inde fieri, quod in urbibus condendis aratro locus definiatur. per *l. pupill. §. Urbs ff. de v. s. Urbs* enim ab *urvo* dicitur & *urvus* juxta *Varr. & Turneb.* appellatur *curvatura aratri*, quod in urbe condenda adhiberi solet: Simili ergo modo in illius depopulationem eodem instrumento uti conveniens esse, quia nihil est tam naturale, quam unam quamque rem per easdem causas per quas nascitur, dissolvere. Conf. *Cæl. Rhodigin. L. 4. lect. antiq. c. 5.*

47. De Salis aspersione ratiocinatur, iniquiens: Aliarum rerum ferè omnium genium ad generandum semper esse proclivem; salis verò natura est effœta, & non tam ad generandum, quam

quam erodendum prompta. Originem ejus ex Scriptura S. deducit, ab exemplo *Abimelech*; qui urbem Sichem propterea, quod à suo Imperio defecerat funditus diruit & habitatoribus interfectis sale asperfit, *Jud. 9: 45.*

48. Poenæ majores irrogantur & infliguntur *Humana Majestatis* contemptori, præ contemptore *Divina Majestatis*; ratio hæc datur, quia ipse *Divina Majestas* ipsum Deum satis habet ultorem, & *Humanam Majestatem* læsâ magis externa Populi Securitas lædi videtur, idè fere minus puniuntur immediatè *Divinam* quam *Humanam* offendentes *Majestatem*. Si jejuna hæc ratio sufficiat.

49. Deinde, tempore *Pacis* studere debent Magistratus, ut Artes ne vilescant, sed in pretio habeantur: non modò *Ingenue*; verum & *Mechanice*: Quales sunt *Agricultura* & *Nautica*, &c. Illa copiam rerum ad *VITAM* sustentandam suppeditat. Hæc commercia cum Exteris fovendo, Regni dominatum expandit: Quippe dici potest illum quodam modo rerum potiri, qui Mari potitur. Atque ex ratione hic datur consilium, quod res humanæ eò devenierint. Debent ergo efficere ut laboris onus vigeat, ne honos pereat:

*Si queratur honos, non fugiatur onus.*

*Fructus* honos oneris, *fructus* honoris onus. Ethuc quoque sapienter respexerunt veteres Romani, quod *Agenorium*, qui ad agendum excitaret: & *Stimulam*, quæ ad agendum ultro stimularet: & *Sireniam*; quæ faceret strenuum,

intra Urbem tanquàm Deos colerent, qui statuerunt omnia laboribus vendenda esse. *Plutarchus in Marcell.*

50. Pacem cum Exteris initam, sartam te- tamque conservent, & discant mortales non temerare fidem, quæ etiam si totò mundò exulet apud Majestates tamen consistere debet. *Nam verba Regum debent esse Regia, Prov. 8: 6. Principes ea quæ digna sunt Principe, cogitant, illisque insistent, Esa. 32: 8.* hoc est, Principum cogitationes, & verba non debent esse *Aquea*: hoc est, fluxa & mutabilia; sed *Aurea & Argentea*: hoc est, constantia & immutabilia intar *Perfici Consilii, Dan. 6: 15.* Nihil enim in Dominantibus turpius, aut periculosius temeratur, quàm Fides, cum tunc malo suo exemplo doceant, quomodò Subditi, occasione datâ suam violent, & à Principe deficient.

51. Lèges Civitatis humori congruas ipsique proficuas præscribant ad normam divinorum Præceptorum ritè castigatas, bono suo exemplo in iis præluceant, aliàs turpe esset Doctoribus si culpa redargueret ipsos. Nec cogitent se exemptos esse Legibus & esse omnimodè licentiatos prout *Nero* nebulonum perditissimus de se cogitabat & degeneraverat in *Antipater* & effrenem licentiam, unde sine rubore dicere solebat: *Neminem Principum ante ipsum scivisse, quid sibi liceret.* Unde iterùm ego hoc Axioma facio: *Licentia effrenis est Mater Impudentiæ.* Sed observare potest Magistratus istud *Ovidianum*:

Cui

*Cui peccare licet peccat minus, ipsa potestas, Seminanequitia, languidiora facit.*

Néque spectatur Imperator ex eo, quòd aliis imperet; sed ex eo, quòd seipsum ita regere & moderari possit, ut nullum absurdum Voluptatis genus sinat in animum irrepere; & ita invictum se ab intemperantia præstet, ut VITA ejus sit tanquàm imago Virtutis, quam & imitentur Subditi & ad Virtutes erudiantur, cum qua congruit venustus hîc versiculus:

*Rex est qui regnat: Cur non regit omnia solus? Qui regit, & regitur, rectius ille regit.*

52. Debent esse Filii Lucis, non Tenebrarum: hoc est, non debent esse instar Regum Indiarum, quos Cives nunquàm videre possunt: Sed Affabiles & Humani, ut eò magis Cives devinciant & obstringant, ut eos non secus ac Parentes liberi ament, & pro eorum VITA atque incolumitate vota ad Deum faciant, pro iis capita sua periculis objicere sanguinemque profunderè minimè dubitent. Hâc officiositate *Matthias Corvinus R. H.* ad istud altum gratitudinis & famæ fastigium pervenerat; Ille enim Cum *Hungaris & Cumanis*, cum *Bohemis & Alemannis*, cum *Myssis & Rationis* juxta versatus est, domi militiæque negligenti corporis custodiâ usus: Hinc gloriabundus *Nicolao Bosna Regi* retulit: Quod cum per officium visitasset ægrotantem, ipsi in grabato hærenti pedum digitos interfricuerit: Amicis sævâ nausæa laborantibus inter visitandum perhumanè succurrerit: ac veluti Regiæ Digni-

P 2

tatis

tatis immemor & expers, Gomacho fluctuantium caput sustinuerit. Hinc Fides omnium & quam maximè militaris id effecerat, ut publicâ ipsâ curâ & solitudine muniretur, ut miles pro incolumitate ejus, VITAM periculo exponere; immò ultimum VITÆ Vale, pro redhostio gratæ benevolentiae, ostendere, nullus dubitavit. *Vid. infr. Sect. XXIV. §. 14.*

§3. Nec sint inaccessibiles; sed colloquio & accessu liberales. Moniti *Rudolphi I.* Imp. exemplo, qui dicere consueverat: *Dare obsecro hominibus me accedendi locum & facultatem. Non enim idè ad Imperium evectus sum ut hominibus in arca præcludar.* Talis humanitas *Alexandrum M.* militibus universis gratum reddidit. Cum semel frigore penè esset correptus, ignique corpus refovens affideret, gregarium vidit è suis militem algore prope mortuum ac torpentem; nec mora, loco & sede suâ exsiliens militem illum in sede sua collocavit. Tali humanitate *Trajanus* Imp. Civium & militum omnium amorem conciliavit, dum Milites in prælio vulneratos curaret. Hâc *Titus Vespasianus* effecit, ut *Amor & deliciae generis humani vocaretur.* O horum Principum Eximiorum facta sublimia, & tam notatu, quam citatu dignissima, quæ utinam Principum cordibus inscripta forent!

§4. Nec debent esse inexorabiles, irreconciliabiles, dictu difficiles, injustè agentes, prout & superius monueram; Saxa enim & solitudines vocî respondent, resonant & reboant. En Tibi ob oculos propositam veritatem:

Di-

Dicere vera potes mihi, dic resonabilis Echo? *Exo.*

Respondes igitur, si tibi forte vacat? Vacat. Dic Echo, felix esses, si forsan ab essem? Essem.

Euge, antris gaudens vocis imago, vale! Vale!

Bestiæ immanes cantu flectuntur & subsistunt. Cur ergo homo ratione præditus, supplicationi leviter delinquentium renueret? Est-ne qui vos læsit? utimini conniventia & cum pudent facietis: si pœnitet id fecisse detis veniam, ignoscite & condonetis culpam. Non debetis esse tales, prout ille, de quo loquitur Poëta:

*Nec visu Facilis ne dictu Affabilis ulli.*

§5. Dicebam non debere eos fieri injustè agentes: Prout enim Magistratui Gladius in insigne Fortitudinis heroicæ datus videtur: non minùs à Deo pro publicâ potestate & auctoritate stringendus, ad bonorum defensionem & malorum coercitionem largitus est, *Rom. 13:4.* Hinc etiamnum usitatum est ut in publicis solennitatibus Gladius evaginatus Imperatori & Regibus, &c. præferatur, quod Symbolum est Justitiæ, ut terror fontibus incutiat & insontes sciant se sub protectione Summi Magistratus ab injuria & violentia sceleratorum tutos esse. Huc pertinet venustus & elegans *Dialogismus:*

P 3

Quæ

*Quæ Dea? Justitia. At cur torvo lumine spectas?*

Nelcia sum flecti, nec moveor precio.

*Unde genus? Cælo. Qui Te genere Parentes?*

Mi modus est Genitor, clara Fides genitrix.

*Aurium aperta Tibi cur altera & altera clausa est?*

Una patet Justis; altera surda Malis.

*Cur Gladium Tua dextra gerit, cur levis Bilancem?*

Ponderat hæc causas; percutit illa reos.

*Cur sola incedis? Quia copia rara bonorum est.*

Hæc referunt paucos Secula Fabricios.

*Paupere cur cultu? semper iustissimus esse*

Qui cupit, immensas nemo parabit opes.

56. Consiliarios debent omni tempore habere: Nam

*Consilio quicunque suo sapit, haud sapit ille:*

*Consilio alterius qui sapit ille sapit.*

Eos Circumspectos & Prudentes, ex rerum circumstantiis, multa, cum Rectâ Ratione colligentes & prævidentes. Tempore Pacis; *quoniam ignoramus quid serus Vesper vehat*, de Bello cogitantes: Dico enim, Felicem esse Civitatem, quæ tempore Pacis de Bello cogitat: Ut & Taciturnos & Secretorum Retentores, non Aniles, Fuitiles, aut instar *Psittacorum* Garrulos; verum instar *Ulularum* Taciturnos, quæ Taciturnitas in iis tanta est, ut eam in mediâ quodque morte non amittant. Atque hæc est causa,

quod

quod duo *Psittaci* cum *Ulula* unâ divenditi sunt eodem pretio, quod *Ulula* tantum scire crederetur, quantum illi loquerentur; immò plus, siquidem Sapientis est compescere linguam. Nam si in Sacris L. etiam Stultus per silentium pro Sapiente habeatur, *Prov. 17: 28.* Quantomagis Secretarii viri Sciti, Intelligentes & Prudentes, cohibendo sermones suos, labia obturando, spiritûque frigido sedendo, nuncupantur Sapientes, *Prov. 17: 27.* Omnino debet à quovis, *Ulula*, in Symbolum Taciturnitatis haberi: Existit vetus pictura alicubi, quæ *Alexandrum M. Hephæstionem* illius familiarem & *Ululam* representabat: Ab uno latere stabat *Alexander M.* ab altero *Hephæstion*, cujus ori *Alexander M.* Annulum seu Sigillum suum imprimebat in signum silentii, *Ulula* in medio cum hac subscriptione: *S. T. Quæ* duo Elementa, Veteribus notæ silentii fuerunt. Explicatio tamen adjecta erat utrinque hoc hemistichio:

*S. jubet ut Sileas. T. jubet ut Taceas.*

57. Hoc pacto poterunt quàm plurimis malis occurrere & prævenire, resque fœtas felicius ad finem perducere. Multas perplexationes, Conjuraciones & lycophantias eludere aut præcavere, aut Factiones subortas compescere & magis pacificè sedare.

52. In Civitate Judices Justos præsertim, & Equos debet Magistratus habere, non *dispo Phæ-* *rus*, qui non nisi pecuniâ interveniente jus dicerent miseris Subditis. Pestes sunt hujusmodi

homines Regnorum & Urbium: Unde, Multo-  
tores Reip. olim nuncupabantur tales pecu-  
niarum Emullores. Rectè! Patet hoc ipsum ex  
colloquio corrupti Judicis cum suo Corrup-  
tore:

Heus aperi? Tu quis? Ego sum. *Quid quaris?*  
Ut intrem,

Fers aliquid? Nil. *Esto foris.* Fero. *Quid?*  
Satis. Intra.

*Quid fers?* Ova. *Quid ille?* Capos. *Quid*  
*tertius?* Agnum.

*Nemo magis?* Sunt qui adducunt. *Quid?* Cum  
Bove Porcum.

*Vos laudo:* Tamen hi forsàn plus Juris habe-  
bunt.

*Dic quare?* Ova, Capos, Sus, Bos, malè  
perdit & Agnum.

Et sic Munus & Pecunia, &c. faciunt Justi-  
tiam, & in eam Bilanx vergit partem in qua  
majus est pondus, & sic *Jus* fit *Vis*, & *Justi-*  
*tiam* Metathesis facit *Vistitiam* juxta versum  
illum Palingenii:

*Cui VIS est, JUS non metuit: JUS obrui-*  
*tur VI.*

Intendant Judices remis velis ut sequens Pro-  
blematis eludant:

*Dic mihi, quid, queso, toto jam regnat in*  
*orbe?*

*Dic tribus hoc verbis, litterulisque tribus?*

### RESPONSIO.

*Non verbis tribus, aſt unâ Respondeo voce;*

JUS, vel, transpositis, VIS, malè litterulis.

JUS

JUS & VIS, apicis parvo discrimine distant.

JUS non mundus habet, VIM quia semper  
habet.

59. Et hoc est illud quod Salomon, Prov.  
17: 23. dixit: *Munera de sinu Impius accipit ut*  
*pervertat semitas Judicii.* Tales Civitatis Pestes  
& Argentinæ morbo laborantes Judices gravi  
pœnâ debent vindicari.

60. Quatuor sunt Fines pœnarum, quos ob  
oculos debet Magistratus ponere & secundum  
eos conscientiosè pergere: 1. *Est Neceſſitas*: hoc  
est, *Correctio*, ut nempe eum quem punit, cor-  
rigat, ut in posterum cautius agat. 2. *Timor*,  
ut lætæ parti satisfaciat. 3. *Paucitas*: hoc est,  
Publica Tranquillitas, ut alii sublatis malis se-  
curiores vivant. 4. *Paucitas*, ut alii Exem-  
plum inde capientes à maleficiis absterreantur.

61. Hujus ultimi finis gratiâ punivit Cam-  
byſes, Siſamnem Præsidem, qui pecuniâ cor-  
ruptus injustam sententiam tulerat, propter  
quod detractam toti corpori pellem tribunali  
instravit, & postea Filium Siſamnis, Otanem  
in eam sedem in qua Pater judicabat collocavit,  
atque jussit eum, intuentem Patris exuvias re-  
ctè judicare, ne simili supplicio afficeretur. He-  
rodotus Lib. 5. Valerius Maximus Lib. 6. c. 3.

62. Cœterum quæ ad Officia Imperantium  
trahere possemus de variis Pauperum, Pupil-  
lorum, Viduarum, Peregrinorum, Nundi-  
narum, &c. ordinationibus, quia maximam par-  
tem à statutis variorum locorum pendent, & la-  
bor sine ingenio esset, prætermittimus.

P 5

63. Hæc

63. Hæc tamen sequentia, tanquam maxime necessaria, quæ, ut ab omnibus Majestatibus Humanis notentur, monebo. Cæsares, Reges, Principes, &c. Nihil solidi in hoc fragili Rerum statu promittant, præter factorum piæ, honestæ & laudabiliter gestorum gloriam, & nominis sui apud posteros immortalem & solidam Famam. Si Sceptro, si Opibus, si Populis superbiunt, fallax ex iis & non diuturna Voluptas. Temporis ista sunt omnia dona & rapina, prout & Fama fucata Virtutis, aut Arte humanâ comparata. *Vid. Sup. Sect. XII. De Summo Bono. Conf. Sect. XVI. §. 4. 5. 6. 7. 8.* Laconicè itaque *Martialis*:

*Pange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:  
Ipse jubet mortis Te meminisse Deus.*

Id quod à *Seneca Tragædo* hisce versibus expressum legimus:

*Vos, quibus Rector Maris atque Terra  
Jus dedit magnum Necis atque VITÆ,  
Ponite inflatos tumidosque Vultus.  
Quicquid à vobis minor extimescit,  
Major hoc vobis Dominus minatur.  
Omne sub Regno graviore Regnum est.  
Quem dies vidit veniens Superbum,  
Hunc dies vidit fugiens facentem.  
Nemo confidat nimium secundis,  
Nemo desperet meliora lapsus.  
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho  
Stare fortunam, rotat omne fatum.  
Nemo tam Divos habuit faventes,*

*Cra-*

*Crastinum ut possit sibi polliceri.  
Res Deus nostras celeritatas*

*Turbine versat.*

64. Quòd autem Patria omnes Charitates complectatur, *Sect. XI. §. 13.* Toto nisu incumbant ut illi proficiant. Illâ enim salvâ, omnibus benè est, illâ claudicante, claudicant omnia. Eam itaque ne sugillant & mutilent; sed sanctè promoveant & locupletent. Nam aliàs ipsa ejus Concussio, & Oppressio, prout Viduarum, Orphanorum, Pauperum, *Exod. 3: 7. & 22: 22. 23. 24. Coll. 27. & Rapinæ, Hab. 2: 11. ut supra §. 25. monueram*, clamat ad Cælum. Ex Exemplis innumeris in rationem insurgere potest Quæribunda & Lachrymans nostra Pannonia, per longas temporum centurias trita, immaniter ab omnibus tam Propinquis quàm Remotis, nec non ab omnibus Populorum reliquiis sugillata, spoliata, immeritò divexata, & manu barbarâ dislocata: Sed procul omni dubio, Væ vobis deditis quæstui malo pro domo vestra, ut disponderetis in Excelsò nidum vestrum, quò eriperemini è potestate mali. Consilium ini-vistis pudendum domui vestræ scindendi Christianitatem istam: At peccatis contra vos ipsos: Nam lapis è pariete ejus exclamat, & nodus è ligno testificatur illud: Væ ædificanti Civitatem Cædibus & stabilienti Urbem Iniquitate, *Habacci 2: 8. 9. 10. 11. 12.* Ejulat! Exclamat! ita ut Deus Mundi Rector audiat, & vera Christianitas condoleat.

*N. Ge-*

8. Gemit *PANNONICI Sionis Filia*,  
Gemunt velut inter spineta Lilia:  
*Deus!* Quanta Tibi fundit suspiria;  
Tardas tempestiva tamen auxilia.

9. Ejulat ex antro noviter parato,  
Te *Deum Tutorem* proclamat consulto;  
Veni *Christe Jesu* apparatu toto,  
Ostio cœlorum apertò relictò.

10. Clamat! Ecce solam *Me Tibi* relictam,  
Omnibus humanis viribus privatam,  
Amplectaris *Sponsam* Tibi desponsatam,  
A *Fratribus* meis protervè contemptam.

11. Subvenias oro Tuâ *Potentia*,  
Cujus dextræ tela non sunt fragilia:  
Accelera quæso perenni *Gloriâ*,  
Ne Corona mea sit transitoria.

12. Quot jam expectata me *Pacis* tempora  
Decepere: velut *Navitas* Anchora.  
Opinor optata petere Littora:  
At occulta quædam retardat remora.

13. Tot habet internos Mens mea gemitus;  
Quot alit ejectas conchas Maris Littus.  
Tantopere premit me Mundi tumultus:  
Ut cogar horridos emittere planctus.

14. Grumis lachrymarum genæ madent meæ,  
Quare non Titulum *Naomi*; sed *Mara*,  
Amaritudines mihi dant variæ:  
Quæso consolare me *Fili Maria*!

15. Crescit *fructifera* sub pondere *Palma*,  
Mirum quòd Piorum ego *Mater* alma  
Obruar à densâ lachrymarum grumâ:  
Ustuler ardentî *Phaëthontis* flammâ.

16. Quot

17. Quot Tibi *Filios* *Christe* procreavi,  
Lacte proficuo uberum traçavi:  
Ut alma Genitrix eos suaviavi,  
*Bello* contumaci omnes jam amissi.

18. Sum *Rachel* in *Rama* multum contristata,  
Omnibus *Filiis* penè destituta.  
Circumdederunt me fletus & lamenta,  
Quod ita per *Bella* nuda sim relictâ.

19. In *Carcere* hæret *Josephus* squalidus:  
*David* in *Deserto* oberrat horridus:  
Sedet in *Fovea* *Daniel* timidus:  
Incolit *Elias* *Dumeta* pavidus.

20. Effluxit *Abelis* sanguis insperatò,  
Immane quantum it clamor ejus cœlo:  
Quot *Abeles* ego dietim amitto,  
Ubi latet oro pœnæ refusio.

21. Cur quæso milito sub vana *Gloria*?  
Si Corona mea sit transitoria:  
Quid Immundi Mundi *Idololatria*  
Dat Tibi *Gloriæ præteritoria*?

22. Authorem *VITÆ* decet *Constantia*,  
*Vis* & *Prudentia*, atque *Clementia*,  
Rebus in adversis firma *Potentia*,  
*VITAM TRIUMPHANTEM* *Bona*  
*tutantia*.

23. O *Jehova*! qui Te *Protectorem*  
*VITÆ*  
Nobis promissisti, sis præsens avitæ  
Per longas temporum centurias trita  
*PANNONICÆ VITÆ*, agoni traditæ.

24. Parce Tuo *Christe* dilecto *Turturi*,

Ex-

Exponere noli *Columbam Vulturis*;  
Parce fulguranti horrendo *Fulguri*;  
In mediis Curis miserere nostri.

1<sup>o</sup>. Sed non dubitamus quin calix *Edomi*  
Brevi repleatur pulvillis *Amomi*;  
Inde luget *Edom* virus: *Cinnamomi*  
Melerit gustui; sed Venenum cordi.

2<sup>o</sup>. Gemitibus tota turgens *PANNO-*  
*NIA*,

Excellentis nostræ *Europa Filia*  
Audis *Christe* pro nunc quanta Suspiria  
Ingeminet mœsta propter Auxilia:

3<sup>o</sup>. Ergo *Christe* dabis, neque denegabis  
Opes Indigenæ affatim pensabis,  
Thura Suffituum pronus odorabis:  
Ut *Pax*, *Iustitia*, sint in ejus Campis.

4<sup>o</sup>. Hæc mea *Scribentis* Profopopœia,  
Mœrentis in Mari sita *Hollandia*,  
Clamitet ad cœlos pro suavi *Copia*  
*Patria* mittenda: *Eterne Jehova*!

## Sectio XX. De Civium in Civitate Muneribus erga Majestates Humanas.

1. **H**ic utemur quibusdam Subdistributionibus, quarum ope per partem residuam operis transcendemus. Civium in Civitate Munera dicimus esse duplicia, *Generalia* vel *Specialia*. *Generalia Munera* fluunt ex occasione Communis Obligationis, quâ ipsi Subjectioni Civili generaliter sic dictæ, obnoxii sunt. *Specialia Munera* fluunt ex Specialibus Officiis, ad quæ præ-

præstanda quisque tenetur, prout functio ipsi est collata. *Illa*, tria objecta respiciunt: vel Magistratum s. Civitatis Duces & Primates: vel Civitatis Corpus: vel Concives. *Hæc*, aut Singulos Cives tangunt; aut quibusdam duntaxat appropriantur, de quibus in posterum. Ordine priora ventilabimus: Ultimò sequentia.

2. Civis Magistratui s. Ducibus Civitatis & Primatibus non modò obsequi; sed & Fidem præstare, reverentiâque exhibere tenetur; si illi ante eant & Humiles non contemnant, oportet ut non quidem metu colantur rigidè; verum ut Superiores suspiciantur obsequiosè.

3. Ficulneas tales cogitationes Civis animo suo exulare faciat, cujus farinæ hoc sequens est: Constituens est præstantior Constituto. Atqui Subditi Constituunt Regem, &c. Rex ab illis constituitur: Ergo. *Respond.* Aliud est constituere infra se, aliud supra se. Secundum *prins*, Superior est Constituens Constitutò; sed non secundum *posterius*. Sic olim Principes, postquam alternatim Remp. administraverant & postea *Numæ* lampada tradebant, illum ut Superiorem nolentes volentes agnoscere tenebantur. *Liv. Lib. 1. Halicarn. Lib. 5.* Civis verò Christianus, donec Magistratus in suo Officio sanctè permanet obligatur ad omnia humanitatis officia obsequiosè præstanda.

4. Decet enim ut quos Sapientiâ ac Dignitate antecellere cognoscit, cultu aliquo prosequatur: Dignitas enim ex eo nomen sortita est, quod

quòd illi digni æstimarentur, qui aliis præessent & Remp. curarent: Unde Capita Regionis dicuntur, *Numer. 1: 16. & 17: 2. & 14: 4.* Dicunt Izraëlitæ; Dabimus Caput, *Lxx ἀρχήν*. Constituemus Principem & revertemur in Ægyptum. *Jud. 11: 7.* dicunt Izraëlitæ ad Jephtham: Eris nobis *αρχήν* in Caput, *Lxx εἰς ἀρχήν* in Principem.

5. Ut autem ex Capite motus & sensus per organa convenientia in membra Corporis influunt: Ita à Magistratu, varia omnino beneficia ad Subditos promanant. Hinc rationi consentaneum est, ut qui talium Imperio subditi sunt, eos ament, honorent, illis obediant, non deserant; sed ipsorum decretis acquiescant, pro ipsis vigilent & armis pugnent: Quando enim Caput cadit omnia membra cadunt: Ergo integrum est, ut, quemadmodum Filii amant Parentes, eosque honorant usque ad ultimum spiritum juxta Præceptum Decalogi, *Exod. 20.* Ita Subditi Magistratus suos ament & honorent: sunt enim Patres Patriæ, uti vocatur *Josephus* Prorex *Ægypti*, *Gen. 41: 43. & 45: 8.* Et *Jobus* vocatur *Pater Pauperum*, *Job. 29: 16.*

6. Honorent, inquam, eos I. Corde, eos tanquam Deos visibiles & Filios Excelli, *Psal. 82: 6.* observando, usque obediendo, *Exod. 4: 6. Psal. 8: 1. & 95: 3. coll. 1 Petr. 2: 13* *ὑποτάγητε.*

7. II. Ore, pro illis orando, ut quietam & tranquillam VITAM degant cum omni pietate

tate & honestate, *1 Tim. 2: 2.* Immò & pro ipsis Deportatoribus & Victoribus nostris orandum, *Jer. 29: 7.*

8. III. Opere, rivulos suos foras derivando: hoc est, tributum & vectigal Magistratui solvendo, *Rom. 13: 7. Alian. Lib. 9: variar. Histor. de Themistocle Atheniensium* Principe scribit: Dicere illum solitum fuisse, se quidem de suis Subditis optimè meritum; sed nullam ob id gratiam reportasse, ideòque *Platano* se similem dictitabat, ad quam decurrerent, quos infestaret imber, à quibus, reddità serenitate, velleretur. Sed malè: Quia

*Arbor honoretur, cujus nos umbratuetur.*

9. Debent Boni Cives pro iis VITAM in discrimen eventuum exponere, & Majestatibus obedire: Exemplo I. *Abisai*, *2 Sam. 21: 16. 17.* qui VITAM suam pro Davide Rege suo, præsentis mortis periculo objecit, & *Jesbi-Benob*, qui erat è numero Gigantum, cujus mucronis pondus erat trecentorum Sielorum pondus, ex chalybe, quique Davidem gladio percutere cogitabat, interfecit. II. *Persarum*, qui ad navem vacillantem & in Mari procelloso periclitantem, quâ *Xerxes* vehebatur levandam, ex petitione Regis, volentes in Mare defiliunt, & sic *Xerxes* cursum à *Strymonia* ora navigio tenens incolumis in *Asiam* pervenit. *Herodotus Lib. 8. p. 271.* III. Exemplo *Macedonis* illius, qui *Alexandro* sitienti in expeditione adversus *Darium* potum obtulit. Ro-

gante *Alexandro M.* quo-nam aquam ferret? Respondit ad Filios se ferre, qui etiam si morerentur, diu superveniente *Alexandro*, copiam tamen liberorum ei non defuturam, innuens, majorem sibi habendam rationem Magistratûs, quàm liberorum. *Alexander* autem cum jam manû teneret galeam ut biberet, dixit: Nolle se bibendo aliorum augere sitim, sicque aquam illi restituit. Admiranda fanè hominis gentilis erga Majestatem obedientia, imitatione excipienda. IV. *Petri Comitis Sabaudia*, qui feudum ab *Onone IV. Imperat.* petiturus, ante eum apparuit in duplici habitu; latus enim dextrum ejus vestibus inauratis & eximiis fuit ornatum; sinistrum verò armis ferreis munitum. *Imperator*, quid sibi distinctus & inusitatus mos vestiendi vellet ab eo sciscitatur: Comes respondit, aurum se gestare in dextra parte ad honorandum Majestatem Imperatoriam; in sinistra verò se esse armatum ut contra malevolos & obrectatores ejus, usque ad extremum spiritum pugnaret.

10. Debent Cives pro re nata Magistratum à Dimicationibus arcere: Exemplo *Izraëlitarum*, qui, postquam per *Abisai* è manu virulenta *Jesbi-Benob*, incolumis evasisset Rex *David*, dicunt: *Non exibis amplius nobiscum ad prælium, ut non extinguas lucernam Izraëlis*, 2 Sam. 21: 17. hoc est, ut non exponas te periculo mortis, atque interficiaris, cum detrimento *Izraëlitarum*, quibus præluces Consiliis & Actionibus tuis. Hic habemus memorabile fidelium Subditorum exemplum.

11. Sic

11. Sic alibi, 2 Sam. 18: 2. 3. 4. Cum Rex *David* in prælium contra *Absolonem* Filium suum egredi cum illis vellet, noluerunt illi hoc permittere, ne in discrimen VITÆ veniret, dicentes: *Non exibis: Nam si nos fugerimus non apponent ad nos Animum: Si dimidia pars nostri cecidit non curabunt. Quia Tu unus solus pro decem millibus reputaris. Quare melius est ut sis nobis ex Urbe presidio.* In quorum consilio *David* acquievit, dicens: *Quod vobis videatur rectum, hoc faciam*, ibid. v. 4.

12. Omnium maximè, ut hoc sæpius inculcem, Orationibus ad Deum Regem Regum, 1 Tim. 6: 15. 16. fufis, eos promoveant; nam sitam prompti essemus ad preces pro Magistratibus fundendas, quàm parati sumus ad detrahendum ac maledicendum ipsis, næ res nostræ meliùs haberent.

*Sectio XXI. De Civium erga Totam Civitatem Muneribus, quæ & in Conjugio contemplantur.*

1. **P**ublica privatis anteponenda Bonis, si quidem verum sit ex incolumitate Boni Publici; tanquàm ex fonte, Privatorum Bonorum felicitatem ortum suum ducere: Prout enim se habent membra ad integrum: ita se habent Cives Privati & Bona Privata ad Civitatem & ejus Bona Publica; & velut deficiente Toto deficiunt Partes, esuriante Ventre labant cætera membra: & si totum Corpus sit

Q 2

va-

valetudinarium, nihil juvat, quamvis subsidio sis auriculari: Si curam non habeas. Totius, actum est & de auriculari: Ita si soli sibi Civis consulat postponendo Publica, periclitabitur Civitas, nec ipse subsistere poterit. Consultum est itaque ut totius Civitatis utilitati privata postponantur, & Civis nihil magis in votis habeat, quam ut omnia illius salva sint, & inconcussa maneat ejus Filicitas. Opes suas & omnes Animi vires ut & Corporis ad eam conservandam expendat & offerat, ut ejus Gloria magnificentior multoque illustrior reddatur.

2. Debet invigilare ut ejus bona legitimè augentur, quòd si fiat aggrataletur: Unde, non est Juris, suffurari aliquid alicui & Bono Publico intrudere & sic Bonum Publicum illegitimè augere, talis consuetudo est irrationabilis & Legi Divinæ è diametro contradicens. Hujus fecunditati involvitur delictum contra Naufragos, quorum Bona post naufragium inventa, non Fisco; verum naufragium passis debent restitui. Nec ipsa Civitas in judicando hoc sequi debet; quod enim contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentias, siquidem verum sit Consuetudinem sine Veritate esse vetustatem erroris, nec contra Conscientiam Rectæ Rationis esse imitatione excipiendam. Sic expulsis hostibus ex agris quos coperant, dominia agrorum, ad priores dominos redire & non publicari, integrum est. Iniquum valde & contra Jus Na-

tura

tura esset Civi cum jactura & damno alterius Concivis, vel Peregrini legitimi, Civitatem locupletare. Jure Naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiores *L. 206. de R. 7.* Multò magis debet esse æquum Civitati pauperie alicujus innocentis non ditescere. Qui mos reprobatus est à *Carolo V.* in Const. Crim. art. 207. A *Fridrico I. Grot. l. 2. c. 17. Carpzov. prax. Crim. p. 2. quest. 80. n. 10. Puffendorff. lib. 3. c. 1. §. 11.* Contra hoc Rectæ Rationis dictamen quondam errare multi in Turgovia, aliisve Helvetiæ partibus, nec non multis aliis, ut *Icti loquuntur*, irrationabilibus. *Myler ab Ehrenbach de Princip. & Stat. Imper. Rom. Germ. p. 2. cap. 39. §. 6.* Ut & in Terra Patria, quorum exempla Prudentia suppressit. Aliter loquitur *Lex Inst. Lib. 4. Tit. 6. de Actionibus p. m. 577.* Inhumanum est spoliatum fortunis suis in solidum daminari, &c.

3. Ad legitimam Bonorum Civitatis auctiorem pertinet maximè, ut legitimè Civis proficiat: Naturæ enim ordo, VITÆque necessitas exigit ut homines propagatione speciem suam servant, & continuâ successione genus mortalium & Civitatem ab interitu vindicent.

4. Unde Civis, Sociam sibi legitimam adfiscat & comparatò Adjutoriò, non solum sibi; sed & Civitati consulat.

5. Conjugium autem sit unius Viri & Fœminæ ex legitimo consensu individua conjunctio ad communicationem corporum & societatem VITÆ inter se mutuo.

Q3

6. Op-

6. Opportunè incidimus in tractationem Muneris Coniugalis; quòd autem pertineat à Cive ad Civitatem felicitandam & beandam, quædam nobis delibanda de munere ejus incumbunt: Dicebam Conjugium esse unius Viri cum una Fœmina; Deus ipse prævit monendo in locis. *Gen. 2: 22. Malach. 2: 25. Matt. 19: 4. 5. 1 Cor. 1. Levit. 18: 18.* Non potest enim perfectio illa amicitiae & officii mutui, quæ est conjugalis, haberi, nisi inter unum & unam.

7. Ubi, debet adesse cupido alterius sexûs ad VITAM suaviùs traducendam, ad vacandum alacriùs Veneri ad sobolis propagationem, propter regni Dei & Civitatis politicæ aucionem. Ex quibus sequitur naturæ instituto adversari extra torum legitimum genitalibus partibus uti, Polygamiam exercere, fedam pollucionem procurare, & eidem sexui committeri: Dico hoc esse contra Jus Mundi & Naturæ, seu contra Leges illas, quæ in oppositione ad reliqua omnium nationum Juratædam iis prælucent & tanquàm totum ad partem, mare ad flumen se habet.

8. Objicis tamen hoc non esse Juris Naturalis; sæpè enim contrarium est in usu: Quicquid autem est à Naturâ, mutari nequit. Atqui hoc jus, quod tu dicis esse naturæ, mutatur. Ergo non est à natura. Majorem probas exemplo ignis, qui omnibus in locis vim & potestatem urendi retinet, nèque alio modo se habere potest. Minorem, quia id, quod Juris Naturæ com-

communiter dicitur non in eadem veneratione apud omnes Gentes habetur, & in multis casibus apud has nationes pro justo & honesto haberi, quod apud alias tanquàm malum & turpe repudiatur: Ut, videmus Polygamiam apud Christianos exolam esse; apud *Turcas* verò hodie & ferè apud omnes Orientales, olim apud *Parthos* multas uxores uni viro nuptas fuisse. Sic apud *Getas*, quibus, experts nuptiarum habebatur ille, qui quatuor, quinque, saltem tenuit uxores: ut refert *Menan- der de Getis* apud *Sirabonem Lib. 7. Geograph. in-* interprete *Xylandro.*

*Nam nemo nostrum uxoribus potest decem  
Contentus esse: undecimam quin duodecimam  
Plerique ducunt, quatuor qui duxerit  
Duntaxat, aut vel quinque, censetur miser  
Nostratibus, morientemque obiturus Nuptiarum  
expers.*

8. In *Litvania* Matronæ Nobiles concubinos palàm habuerunt pro Matrimonii adjutoribus, ipsis maritis permittentibus, referente *Claudio Espencao Theologo Parisiensi*, quod ipsum exemplo illustrat. *Lib. 2. de continent. c. 10. p. 205.* Ducis cujusdam *Oppiani*, qui cum uxori ex *Litvania* acceptæ obviam ivisset, in uxoris comitatu videt Adolescentem formâ egregium, robusto corpore in plumis jacentem pensili currû advectum, conjugis suæ fratrem aut propinquum ratus: sciscitatur; unde hoc responsi accipit: *Mores Patrio Nuptas Nobiles pro Mariti facultatibus unum pluresve concubinos*

*domi alere, qui marito vel morbo, vel quâvis aliâ causâ debitum persolvere nequeunte, aut negligente, Matrimonii onera subeant & viri vices suppleam, conf. Joh. Boem. de moribus LL. & ritib. Gent. Lib. 3: c. 7.*

9. Sic apud *Sabeos* omnes consanguinei unam habuerunt uxorem, natû verò grandior Dominus eorum fuit: qui priûs ingrediebatur positò præforibus baculò cum ea congregiebatur, eâ tamen cum grandiore pernoctante. *Menander de Sabais Lib. 16.*

10. Ad Prosylogismum huncce *vid. Sect. VIII. §. 12.* Resp. Solventem: Ubi dixi distinguendum esse Juris quæstionem ab Exercitio, ab Exercendi Modo, & Prudentia, quæ qui accuratè discriminare nescit, non est ut unquam rectè ratiocinari possit; qui novit? vix est unquam malè possit: Hinc vide Te ipsum cavillantem & confusè agentem; confundis enim mutationem Objecti cum mutatione Juris. Objectum mutari potest; Jus verò non. Prout longè aliud est de Imperii forma, aliud de Jure Imperantis disceptare; Ita aliud est de Jure, & Objecto ejus. Objectum, *ut dictum*, mutari potest; Jus verò non. En Tibi Simile. Jus Naturæ se habet instar speculi; cum enim in eò varii generis conspiciantur figuræ ac ex diversis Objectis variantur, speculum tamen semper manet idem & nunquam mutatur; sed ob variationem Objectorum variantur speculi representationes (nam à menstruosæ fœminæ intuitû maculas inspergi fabulosum est & ani-

le)

le.) Ita Legem quòque Naturæ semper manere jultam, semper eandem, ob rationem continuam & æternam, mores verò populorum varios esse, variâque causas, quæ in his, non in Lege mutationem causantur. Hæc, & huic similibus Responsionibus militans, *Excellent. D. Phil. Rein. Vuriarius, Lugd. Batavorum in Jurisp. Præceptor noster proficiens, in discurs. ad Grot. & ad Exerc. 1. §. 69. Struv. Syntagm. 1. Civ. Et Amicus noster Cl. D. Joh. Behrent, Prussus, J. U. D. in tr. de Prim. int. Hom. Lege ex Jur. Mund.* Addo denique: Quid magis est Naturale, quàm hominem cum Auribus & Naso nasci, quæ si per vim abscindas, non tamen sequetur non fuisse partes naturales: Etiam quòd

*Cui VIS est, JUS non metuit: JUS obruitur VI.*

*JUS & VIS, apicis parvo discrimine distant. JUS non mundus habet, VIM quia semper habet.*

11. De Polygamia verò Patrum Antiquorum inter Theologos hodie adhuc dum lis est. Magni illius Theologi *Wilhelm. Amesi, in Medul. Theol. L. 2. c. 19. §. 22.* verba sunt hæc sequentia: Polygamia, quæ apud Patres Antiquos in usu fuit, violatio semper fuit legum Conjugii, nèque dispensatione aliâ fuit olim à Deo tolerata, quàm quâ infirmitates & ignorantias hominum sæpè solet, & in bonum convertere. *P. M. Cl. D. Christophori Wutichii Præcep. nostr. astumatissimi, Aphor. Decad. 24. §. 4.*

Q 5

Po-

polygamia à Deo Conjugium primitus instituentem fuit prohibita; sed cum Patriarchis, de ea Lege censemus fuisse dispensatum. *Bellarminus de Sac. Matrim. c. 11.* Sara Abrahamum inducit ad Secundam uxorem ducendam, *Gen. 16: 3, 4.* Néque credibile est, ait, Saram feminam sanctissimam hoc facturam fuisse, nisi id licitum scivisset. Patres autem ad locum *Gen. 29: 28.* Ubi *Jacob* duxit *Leam* & *Rachelem* suos bolos sic conferunt: *Leam* figurasse Populum Judaicum; *Rachelem* verò Ethnicos, *Augustinus* ait. *Rupertus* contra, *Rachelem* typum fuisse Judæorum, *Leam* Gentium contendit. *Gregorius* per *Leam* interpretatur VITAM Activam, per *Rachelem* Contemplativam apud *Pererium* in h. l. Cum autem in hac Polygamia tanta lateant mysteria, non potuit non esse licita. *Lutherus* in propositionibus de Bigamia Episcoporum Anno 1528. propos. 65. & 66. Sic *Durandus* & *Cajetanus* negant uxorum pluralitatem Jure Divino fuisse prohibitam: Ita *Hugo Grotius*, De Jure Belli & Pacis. Lib. 2. cap. 5. n. 9. Anabaptistæ, Polygamiam plurium simul uxorum, post sufficientem generis humani propagationem etiam, reliquisse Deum nobis liberam, asserunt cum *Luthero* in loco cit. *Tirinus* Jesuita verò in Controv. de Matrim. n. 3. ante sufficientem generis humani propagationem contendit. Et quòd *Cecrops* *ἑνὶ ἀνδρὶ ἑκατέρη*, unam feminam uni marito attribuit, *Athenæo* teste; Atheniensium *ἑνὶ ἀνδρὶ* fuit dictus.

12. Multò plura huc congeri possent eodem  
sa-

facientia etiam ex hodiernis, qui hodie quòque esse licitam asserere non verentur; sed insolubilis unius cum una copula fortissimè adstringitur locis ex Novo T. *Matt. 19: 5, 9.* *Rom. 7: 3.* *1 Cor. 7: 10.* Obest proliferationi illa diffusa in varias mulieres luxuria: *Nec regna socium ferre nec tædæ sciunt*, inquit *Seneca* in *Agamemnone*. Una potest esse adjumento, plures nocumento. *Germani* laudantur à *Tacito* de moribus *Germanorum*, quòd propè soli barbarorum singulis uxoribus contenti essent. *Romani* semper Monogami fuerunt & diutissimè divortio abstinerunt, & apud eos Prætoris edicto notabatur infamià, qui binas nuptias in eodem tempore constitutas habuisset, l. 1. ff. de his qui not. inf. & l. 2. C. Inc. & Inut. nupte. Sed hæc relinquo Theologis & Ictis profundius meditanda, non exemplis in rei veritatem adductis aut adducendis; sed Legibus examinatis aut examinandis, quæ de Rei Bonitate aut Malitià decernunt. Cæterùm, potest consuli *Cl. D. Joh. Meyeri Uxor Christiana*.

13. Quòd homines teneantur & reverà debeant Matrimonium inire ipsa Civitatum ampliatio & Seminis Dei multiplicatio postulat; veruntamen non quisque eligere sibi uxorem tenetur, nec omnes ducere licet, *Instit. Lib. 1. Tit. 10. §. 1.* cum natura sæpè repugnet, aliudque corporis habitus & constitutio suadeat: Sed illi duntaxat, qui sine uxore VITAM traducere nesciunt, aut qui existimant se Reip. consulturos, si sociam sibi adsciscant potius, quàm si cœlibes perseverent.

14. Dico

14. Dico non omnes teneri Matrimonium inire, Apostolus enim Paulus 1 Cor. 7: 7. absoluit eos qui dono Continentiæ à Deo sunt donati: illic loci ait Apostolus se optare sanè ut homines eò modo se habere possent, prout ipse est. Ergo vel saltem Continentiæ dono laborantes homines, mente Apostolicâ, in ordine ad Matrimonium liberè se habere debent.

15. Unde non videtur mihi omnimodè ap- probabilis ille ritus, qui, in quibusdam Ecclesiis Reformatis obtinet, imponendo onus Conjugii ferendi, maxime Pastoribus Ecclesiarum, ut viget in Ecclesiis nostris Hungaricis, ubi V. D. Minister, si officio in Ecclesia fungatur, ultra biennium cœlebs esse non potest; verum ex obligatione Canonum decretorum sociam sibi ducere debet sic jam coactus, cujus rationem, quamvis ignorem; cogito tamen esse: ne ritibus adversæ partis cedere videantur; sanè quantum fertilitatis & boni, tantum sterilitatis & mali ritus ille apud non nullos plus quam pluries compertus est pullulascere, & quantum commodi & utilitatis, tantum incommodi & inutilitatis videtur identidem creare. Idem Canones decreti incumbunt nominati Ordinis coactæ barbitii projectioni:

*Si proluxa facit Sapiientem barba, quid obstat?  
Barbatus possit quin caper esse Plato.*

16. Pertinet ad Conscientiam cujusque hominis muneris conjugalis obitus, nec debemus Conscientiis dominari, verum si plus boni

videatur subesse, & major Ecclesiæ fructus, & ut eò strenuius, viribus sedatis & quietis, officio demandato vacent, mihi videtur libera optio danda, tantummodò adsit donum continentiae sedulò inquiramus. Potest esse hoc sine offendiculo, præsertim apud homines benè dispositos. Quid quod in hisce oris Christianissimis in usu cum summo fructu tum Ecclesiæ tum Politicæ cœlibatus plurimorum V. D. Ministrorum floreat? Et unus cœlebs plus proficit scriptis suis liber ab omni culinari molestiâ, quam Conjugatorum non contemnendus manipulus ubiq; terrarum. Verum committo hæc Sacratissimis Capitibus, eorumque secretioribus consiliis.

17. Dicebam nec omnes uxores ducere licere: nam à quarundam nuptiis abstinendum est. Inter Parentes & Liberos contrahi nuptiæ non possunt: velut inter Patrem & Filiam, vel Avum & Neptem: vel Matrem & Filium, vel Aviam & Nepotem: & usque in infinitum: Et ita cape v. 6. & 8. c. 18. *Levit.* Et si tales persone inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. *Inst. L. 1. tit. 10. §. 1.* In summo scilicet gradu. Nam in his tanta est turpitudine & feditas, ut naturâ omnes à tali conjunctione abhorreant. Et hoc est incestum, quod Jure Gentium committi scribit Paul. *l. ult. D. hoc tit.* nec eo minus Jus, quia à Persis contemptum, ut rectè *Xenoph. 4. memorab. add. Philon. in Decal. lib. 1.* Cæterum & aliæ nuptiæ, quæ ratione cognationis aut affinitatis prohibentur, incestæ dicuntur. *l. 39. §. 1. l. 95. D. hoc tit. l. 5.*

de quest. l. ult. C. de incest. nupt. de nomine hoc vid. Non. Isidor. Fest.

18. Et hæc adeò vera sunt, ut quamvis per adoptionem Parentum Liberorumve loco sibi esse coeperint non possint inter se matrimonio jungi; in tantum, ut etiam dissoluta adoptione, idem juris maneat: Ex l. 55. D. hoc tit. propter memoriam pristinae necessitudinis. Patris enim persona tam sancta & reverenda Filiæ esse debet, ut ad impediendas nuptias sufficiat, vel aliquando Patrem fuisse.

19. Itaque etiam eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis esse coeperit non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris de cæteris vid. Levit. 18. Inst. L. 1. tit. 10. Theoph. ἐν τῇ τῶν ἀνιόντων καὶ κατὰ τὸν αἰῶνα, inter adscendentes & descendentes.

20. Si qui tamen Matrimonio jungi debent; seriò invigilandum ut personæ conjungendæ, sint idoneæ 1. Per maturitatem ætatis, 1 Cor. 7:36. & 2. Ex statim dictis & citatis; Per justam distantiam sanguinis. 3. Per consensum rei naturæ & Legi Dei consentaneum. Consensus autem debet esse ex prævio & indifferenti rationis judicio facta personarum contrahentium deliberatione, non ex coactione aut dolo malo: Nec non ipsorum Parentum, si modò Liberi sint in potestate Parentum, 1 Cor. 7:36. 37. 38.

21. Postquam conjuncti sunt, Fidem conjugii copulam intemeratam conservent, & nulli alteri sui corporis copiam largiantur. Quoniam jam Maritus ad Uxorem pertinet &

Uxor

Uxor hoc modo in Mariti potestatem transit.

22. Unde qui illos ab invicem divellit Homicida habendus est & supplicio severo castigandus.

23. Caveat Maritus ne Uxori insolitò insidiat, nec suspicetur; quoniam si semel suspicio animum occupaverit, actum est de pacificâ conjugii conservatione. Notet primò omnis Conjugii Munere fungens: Veram Amicitiam nunquam hospitari ibi, ubi Domina Hospitii, Suspicio est. Notet etiam secundò.

*Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas, Semina nequitie languidiora facit.*

24. Debet eam toto corde diligere, illam veluti suam partem complecti; sunt enim duo in carne una, Gen. 2:24. Bonorum communione statuat; quoniam jure societatis & secundum primam naturæ simplicitatem familiæ imperium sceminæ pariter cum viro debetur & ratio vult, ut singuli contribuant quod quidem possint; quoniam aliter matrimonium quod individuum iniverunt, sartum tectumque consistere non poterit. Benè monet *Martialis*, Lib. 4. *Epigrammatum in Negrina*:

*Te patrios miscere juvat cum conjugis census:*

*Gaudentem socio participemque Viro.*

25. Ubi de taciturnitate uxorum constiterit, aliquid ex quasi secretis, illis aperire debemus, ne se contentas esse credant & in suis officiis segnescant. Dico ex quasi secretis: Notum enim est *Feminas* esse *Malo necessario* -- *Lenia tormentis*: hoc est, quicquid in imo latet pectore blan-

dis

dis verbis extorquentia instrumenta; unde ponatur aliquid illis ne tantopere nobis impendeant. Prudentiâ hîc opus est; & quidem maximâ; operis enim & laboris est talem edificare & avertere Dalilam. Et hâc de causâ *Micheas* Propheta *cap. 7. 5.* graviter monet, quando infir: *Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* Et pulcherrimi sunt versus *Antiphanis ap. Stobæum Serm. 14.*

*Quid ais? latere cum velis negotium,  
Quid femina narras? Quid istuc interest,  
Quàm si omnibus in foro dicas præconibus?*

26. *Samson* ille mortalium fortissimus si hoc observâset, libertatem suam, oculos & VITAM tam miserè non amisisset, *Jud. 16. 16.*  
20. *Fulvius* si huic favisset observationi, garrulitate uxoris suæ ad desperationem non adactus fuisset, neque mortem sibi ipsi conscivisset, *Plut. de Garrulit. fol. 337.*

27. *M. Cato* quamvis meliori fortunâ usus, setamen per omnem VITAM trium maximè pœnitere dixit: 1. Quòd navigasset quò pedibus ire poterat. 2. Quòd unum diem mansisset intestatus. 3. Quòd Mulieri arcanum credidisset. Excipe tamen ex his Generosas & Animo Nobiles, mille millia virorum Virtuosos Facinoribus superantes, Prudentes & Circumspectas, &c.

28. Si verò uxor morosa sit, acerbâ, atrox, quærule & continuò stillans instar domus pessimæ, Arte veniat major Gloria: blanditiis aggrediendum, Marte enim non multum profici-

ficimus: Sin minùs? Ad Leges recurrendum, vel fortiter ferendum & salubri patientiâ malum incubans demulcendum, quod emendari non potest, præsertim cum citra liberorum damnum, Matris infamia, domûque dedecus aperiri non possit.

29. Uxor è contra Marito suo adhæreat, illum amet, honoret, lêque ejus imperio subjiciat. Bona illius non dilapidet, & quæ laboriosa sunt Marito negotia ea ne sint uxori jucunda dilapidandi otia:

*Non major est Virtus quàm querere, parta  
tueri.*

Ne fiat ergo instar crumenæ monetariæ vel sacci frumentarii fundo carentis, cui quantumcunque infundatur pecuniæ vel frumenti per foramen inferius transmittit, nihil domino infundenti relinquens, neque ipsius ulteriori felicitati intrâ se consulens. Culinæ curam gerat, nec non familiæ administrationi intendat. Animum cum animo Mariti conspirare faciat, corpus cum corpore conjungat, & sic erunt duò in carne una, *Gen. 2. 24.*

*Felices ter & amplius,  
Quos irrupta tenet copula, nec malis  
Divulsus querimonis  
Suprema citius solvet amor die.*

*Horat. carm. 1. od. 13.*

30. Concordiæ conservandæ multum servit æqualitas personarum, tam in Religione, quàm in Bonis fortunæ. Vix enim felici successu & exitu absoluntur Nuptiæ inter dispares initæ:

R

Unde

Unde, Fidei, quotidianò infelici commertiò, obliterari necessum est. Si alterutra partium suas jactet divitias, pulcritudinem, &c. perditæ sunt ibi oleum & opera. In parentibus autem diversæ Religionis delitescunt proles monstrosæ: hoc est, inter Religiones mediæ, nulli fidem habentes, prodigia tum Ecclesiæ tum Reipublicæ inauspicata.

31. Non tamen hæc omnia præter *Adulterium* Conjugio *proprie & essentialiter* adversari autumarem; solum enim est *Adulterium*, quod Conjugii vinculum & fedus maximè ex sua natura abrumpere potest, *Matt. 5: 32. & 19: 9. 1 Cor. 7: 17.* atque adeò propria & iusta causa est divortii iustum ipsum Conjugii vinculum dissolvantis, quod propter multa alia peccata, quamvis sint graviora, non est admittendum.

32. *Desertio* tamen, quæ fit cum animo non revertendi, *qua Malitiosa vocatur*, videtur tollere peremptoriè omnem *conjugii & maritalis* non minus naturaliter, quàm Jure Divino, adeoque sequi potest, causam esse federis conjugalis destructionis. *D. Hub. de Jur. Civis. Lib. 2. c. 2. §. 32. 35.* Maximè si ratiocinemur h. m. Conjugium est Contractus tribus Finibus gaudens. 1. Ut liberi procreentur. 2. Cupiditates restringantur. 3. VITA felicius sustentetur. Jam *Malitiosa Desertio* omnes tres Fines abrumpit; non enim 1. Liberi possunt procreari. 2. Cupiditates restringui. 3. VITA feliciter sustentari. Eaque omnia propter *Malitiosam Desertionem & Absentiam partis Contrahentis*. Ruptus est totus

totus Contractus, ergo & Obligatio vinculum Conjugii; quoniam tamdiu solet manere Obligatio, quamdiu Contractus adsunt requisita. *Vid. infr. Sect. XXVII. §. 1. coll. cum Sect. XXVIII. tota, maximè §. 8, 9.* Atque hæc ratione potest solvi difficultas de *Libello Repudii*.

33. Allaborandum igitur ut Civis legitimè Civitati consulat, ejus bona secundum posse promoveat, pie, temperanter & justè in conjugio maneat, ne Civitati tedium & molestiam adeoque toti Populo scandalum præbeat & tranquillitatem turbet, immò incumbendum viriliter & sedulò ut ejus Paci consulatur eaque promoveatur, quâ si Civitas potiatur, omnia spontè fluent: si aberit violentia rebus, tunc ipsa prata ridebunt. De qua pulchellum & venustum Epigramma *Mantuan*, quod extat *Lib. 3. Sylvar. eleg. 6. v. 25.* observandum est.

*Pax Cererem campis, & mitem collibus Uvam  
Reddit, & armofo dividit arva Bove.*

*Germina Pace virent, per pingui pascua latum  
Luxuriat multa fertilitate Pecus.*

*Pax vehit Eoas peregrina per æquora Merces,  
Et steriles Ponti non sinit esse Vias.*

*Pax hilares Mensas facit, & Convivia passim,  
Et recreat molli tristitia Corda mero.*

*Seçtio XXII. De Parentum & Liberorum  
Muneribus ut Civitati benè sit.*

I. **Q**UÆ hîc tractare satagimus imprimis quidem ad Jus privatum pertinere videntur; sed quia tractatus de Familia ad Civitatis cognitionem necessarius est, nec ea, nisi Parentes explicentur, intelligi potest, res jubet ut obiter hæc delibentur; *sed obiter*, ut sit. Soboles ex Parentum substantiâ effinguntur & ejusdem cum istis conditionis nascuntur, & sunt injuriæ à parentibus inslicte capaces: Non tamen fas est illis Fœtum in utero materno latentem suffocare, aut in lucem editum negligere aut suppressere, pro more Veterum execrabili & detestabili, quibus erat permissum liberos etiam justè natos tollere aut exponere, quod non tam inutile quàm impium fuit: Liberi enim non tam Parentibus, quàm Reipublicæ nasci intelliguntur. Unde *l. 4. ff. de Re Milit.* sancitum est, ut qui filium suum tempore Belli, Militiæ subtrahit, velut ad eam gerendam inhabilis esset, mutiaverit, deportetur.

2. Studendum etiam ut Fœtus ibidem delitescens ex intemperantia Parentum damna ne capiat & concipiat aut patiatur: Paiva enim filamenta ex quibus solidae partes Fœtus constant, defleſcuntur, plicantur, variisque modis implicantur, pro diverso materiarum fluidarum & subtilium illas ambientium cursu, locorumque in quibus occurrunt figura, itaque propter

propter istam volubilitatem variis sunt obnoxii Fœtus in utero materno malis.

3. Quippe spermate, ex plurimis conformationis iltius circumstantiis cognito, singulorum ejus membrorum figura & conformationibus planè Mathematicis & certis deducitur. Unde Philosophicè in connubiali munere, Fœtus facilè damna concipere: Parentum vitia in Fœtus facilè transire, & ab ipsa corporis indole, laudatos perversosque Liberos mores dependere, ex supra dictis cum ratione concludimus. Huc pertinet Matrum quoque imaginatio fortis, ex qua multa nasci res ipsa testatur: Cum inter comedendum, apud *Matthiam Corvinum Hung. Regem*, volutaretur sermo jocosus, inciderunt in mentionem cujusdam Principis, cujus Uxor libidinibus omnium patebat, ita ut inter meretrices haberetur. Quidam non indoctus vir defendens mulierem, insinuabat ejus pudicitiam similitudine filiorum ad maritum, dicens, si hæc mulier adulteraretur ut vos opinamini adultero & non marito similes procrearet, maximum putans argumentum legitimi filii esse parentum similitudinem. Tunc Rex *Matthias* subridens ait ad illum: Nunquàm ampliùs hoc dixeris, si tu aliquandò libros Sapientiæ percurrisses, similitudinem prolis ad patrem incestæ potiùs quàm castæ uxoris signum esse affirmares. Mulieres n. cum sunt in complexu cum adulteris timentes à viris deprehendi, maritorum imaginem semper habent ante oculos: Un-

de fit, ut vehemens imaginatio similitudinem parentum in filios imprimat. Imaginationem verò hoc efficere & acutissimi Philosophi, & summi Medici, & plurima Experimenta declarant. *Galeot. Mart. De Diētis & Factis Matthie.* Quid quod multos naves in corpore humano, propter imaginationem fortem foeminarum, apparere experientia clamat. Sed ecce longius nos hæc materia duceret, unde volumen de fecunditate ejus componere necesse foret. *Vid. Carres. de Format. Fœtus.* Et *D. P. Poiret, Cog. Rat. p. m. 51-55.*

4. Fœtum prognatum Mater sollicitè debet luaviare, propriis suis uberibus alere, & non nisi cogente necessitate nutricibus fovendum committere. Ubi cum ratione accreverit, ad Virtutis & Pietatis formam debet fingere, & prima illi Christianæ Pietatis rudimenta inculcare & insinuare. Pater eodem modo temperativè debet succurrere & ejus profectui consulere. Si munificus est, Præceptoribus erudendum committere, & monitis & exemplis prudenter præire, si fieri possit à Matris aspectu: hoc est, offitiis & palpò semovere, & sic ablatum solidioribus cibis enutrire, ejus progressui attendere, quæ discenda sunt præscribere, omittenda indicare, & Magistrorum Prudentiam atque Solertiam exploratam habere: Quod enim in principio non valet, dictò *Antoniano*, tractu temporis non potest convalescere.

5. In Linguis, præsertim in *Hebraica, Græca, Latina*, exercitatum facere: Hæ tres enim sunt maximè

maximè celebres in mundo: I. *Hebraica*, propter 1. *Legem Dei*, ejusque interpretationem per *Mosen & prophetas* factam. 2. *Antiquitatem*; fuit enim Lingua *Adami*. 3. *Sanctitatem*; quoniam Deus in illa locutus est per Prophetas & Patriarchas. II. *Græca*, propter sapientiam Philosophorum, præclari enim Viri monumenta eruditionis & scientiæ suæ posteris reliquerunt in hac ipsa lingua, etiam quòd Evangelium per hanc ipsam linguam sit prædicatum & Ecclesiæ traditum. III. *Latina*, propter potentiam Romanorum, quibus hoc etiam in more positum erat, ut subjugatos Populos non solum subicerent Legibus & Constitutionibus suis; sed etiam illos adigerent ad addiscendum Linguam Latinam. Hæ tres Linguae in Cruce Christi sunt sanctificatæ, *Luc. 23: 38. Joh. 19: 20.* Quò Titulo, tribus illis Linguis conscripto, denotatur: 1. Christum esse *Sanctissimum*. 2. *Sapientissimum*. 3. *Potentissimum*. Et Christum non tantum Hebræorum seu Judæorum; sed etiam Græcorum & Romanorum: hoc est, Gentium Salvatorem esse.

6. In his itaque Fœtus Parentum, præsertim masculus debet exerceri, ut tandem ejus fructus in aliorum etiam emolumentum redundet, & ex actionibus ejus Decus aut Beneficium Civitas accipiat. Et tenentur tamdiu paternam curam protegere, donec certo fixoque alicui statui possit Fœtus fidere, & in eo suis ulnis VITÆ suæ prospicere.

7. Et quòd Amor quò fertur Bonus Parens

in suos Liberos adeo purus sit, ut nihil ab ipsis consequi cupiat, ne eos aliter possidere velit, quam jam habet, vel illis jungi arctius quam jam est; sed eos considerans tanquam alios se ipsos, querit eorum Bonum ut suum proprium; quin etiam majori cum cura, utpote cum concipiat, se & illos unum totum constituere, cujus melior pars ipse non sit, sapere eorum utilitatem suam praefert, nec metuit se perdere ut eos servet, *Cartes. de Pass. Art. 82.* Hinc factum est ut dicatur: Amorem non ascendere; sed descendere, Patremque suos magis amare naturales Liberos, quam suos Parentes.

8. Unde necessario interest ut Amore aequali eos prosequatur, & nullum discrimen inter eos statuatur; quia quum eodem naturae vinculo jungantur, cautum est eadem Pietatis mensuram fovere, nec Patrimonio discernere, si germanitatis Titulo consentiant: Nisi aliter Patriae Legibus Sancitum sit, & ubi Primogenitura ratio habetur.

9. In quibus tamen Liberis plus obsequii & obedientiae, plus Virtutis in familiae decus orientis, plus emolumenti in Patriae commodum emicaturi, plus boni in Ecclesiae coronam collaturi & effulsuri deprehenderit, cautum est eos plus diligere & amplioribus donis cumulare. Quoniam supponitur id eorum meritis deberi & nisi ea ratione plus diligi, quia supra ceteros altius evehantur. Sic *Jacob* diligebat praeter ceteris *Josephum*, quoniam in ipso videbat aliquem Generosum Animum.

10. Né-

10. Néque debent Parentes, suos liberos exaggerare, & continuis sinistris verbis & verberibus severis castigare; omne enim nimium vertitur in vitium. Arte magis, quam Marte:

*Sunt duo quae faciunt ut quis sit Nobilis: Ars, Mars:*

*Arte venit major Gloria. Marte minor.*

Ex nimia enim Parentum atrocitate provenit, ut Filii ex nimio timore degenerent in perditissimos latrones & caperatae frontis nebulones. Natura hominis, ut novitatis: ita libertatis avida: Unde convenienter naturae humanae vivere est liberè vivere. Non tamen dico ut virga recedat ab ipsis; qui enim denegat virgam filio, odit eum, ait alicubi Salomon; sed ab immoderata severitia cavere suadeo: Multi enim, vel saltem nostrae experientiae ex talibus vehementer & ultra modum castigatis & tractatis, postquam evaserunt & eruperunt, abiverunt & per modum *Catiline*, Pestes Patriae, aut Transfugae facti sunt: hoc est, *Turcae*, aut verae Religionis pertinaces hostes.

11. Munera, seu potius Debita Liberorum sunt: *Primo*, ut suos Genitores venerentur & suspiciant, seque ipsis filiali obedientiam submittant. Illorum praereminentiam & dominium Paternum agnoscant, & se per Parentes velut per canales in hunc mundum appulisse animadvertant, unde eos summam cum Pietate & Religione colant. Qui cultus dupliciter peragitur: 1. *Interne*, per Affectum & aestimationem: 2. *Externe*, per verba, per signa, & effectus; scilicet ho-

R. 5

no-

norificè de illis loquendo, coram illis assurgendo, inserviando, incommoda arcendo, bona procurando, eorum præceptis morem gerendo, eorum legitimæ voluntati per omnia annuendo, nihilque ardui absque illorum Auctoritate & Consilio aggrediendo.

12. *Secundo*, si Genitores egeant & à necessitate urgeantur debent eis subvenire: Naturæ enim ductu impellimur Parentibus dum necessitate premuntur succurrere & iis servandis non res modò; sed & VITAM in discrimen adducere. Illorum actiones benè interpretari & non nimis curiosè in eorum VITAM inquirere, quicquid boni eorum jussu præscriptum est, benignè suscipere. Si fortè Morosi sint, aut ad Malum proni; semper tamen id nos monere debet, Parentes esse nostros, & VITAM ab eis esse mutuatos: Et hoc pacto sclicitati & tranquillitati Civitatis non ultimò modò consulitur.

13. Si autem aliquis ex Liberis, Parenti tergiversetur, eumque interimat, Lege Pompejanâ asperimâ, in eum animadvertitur, quâ non gladio, non igni, neque ulli alii solemnî pœnæ subjicitur; sed insutus culeo cum Cane, & Gallogallinaceo, & Vipera & Simia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundùm quod regionis qualitas tulcrit) vel in vicinum mare, vel in amnem projicitur, ut omnium elementorum usû vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, & terramortuo auferatur. *Inst. Lib. 4. tit.*

18. *de Parricidiis*. Canis infertur, quia hoc animal proprio suo generi non solet parcere, ut iterum

rùm indicaretur hunc quoque fuisse impudentissimum. 2. *Gallus* captatur, quia Gallus matrem salit, & patrem fodit ingratus, ut indicaretur, talem etiam & idcirco omnium odio dignum esse hunc hominem. 3. *Vipera* accipitur, quod ille sit inimicus hominum, ut indicaretur talem hominem esse publicum hostem totius Civitatis; immò totius Generis humani. 4. *Simia* infertur, quia Simia non est homo; sed videtur esse homo, ut significarent hunc non esse dignum nomine hominis. *Projicitur in aquam*, à qua abhorrent hæc animalia, ut significarent extremo supplicio dignum esse nebulonem. Et sæpè in isto supplicio maxima est pugna horum animalium quærentium sibi salutem.

*Sectio XXIII. De Dominorum & Servorum  
atque Famulorum Muneribus, ut  
Civitati inde consulatur.*

1. **Q**Uanquàm *Servi* per se membra Civitatis non sint; tamen ad Familiam, quæ ad Civitatem necessaria erat, sine dubio referuntur, atque ita sunt in Civitate, adeoque Civitati tenentur: Etiam ipsi Domini servos tenere obligantur propter majorem Civitatis commoditatem, quorum servitus est constitutio Juris Gentium, quâ Servi dominio alieno contra naturam subjiuntur. Contra naturam: hoc est, contra statum naturæ, sive conditionem hominum primævam, non contra jus Naturæ, sive dictamen rectæ rationis.

2. *Plu-*

2. Plures enim servitutis justæ possunt esserationes, veluti conventio, cum quis urgente inopiâ, aut indolis stupiditate operas Potentiori addixit, hæc lege, ut in ejus potestate sit & imperata faciat, quod Jure Romano & Mosaico permissum, §. 3. 4. *Inst. de Jur. Person. Exod. 31:6*. Tales propriè apud Criticos vocantur *Famuli*.

3. Postquàm Bella invaluere factum est, ut Victi Victoribus obedirent, quibus V I T A donatâ, quos aliàs occidere honestum erat, ut Jure Belli notissimo constat, in servitutem addicti sunt, unde illis Victoribus servire necessum erat & hodie cautum est, ipsa quòque nativitas, cuius ratio non tam est, quia, si domini nollent, liberi è Servis non nascerentur, ut *Grotius Lib. 2. C. 5. §. 29. & l. 3. C. 7. §. 5.* & hi propriè vocantur *Servi* à sevando sic dicti, quòd eos non occidere; sed servare soleant Imperatores §. 3. *Inst. de Jur. Person.*

4. Hic loci loquamur de *Mercenario temporario*, erga quem Dominus debet esse promissionibus stans: Is vicissim ministeria conventa præstare debet, & cœtera ad quæ se obstrinxit diligenter exequi, Dominum ut superiorem pro dignitatis ratione tractare, & aliquem ei honorem exhibere, fidem ei datam non temerare, sedulum in negotiis se præstare: Secus, apud Dominum est potestas eum coercendi, aut ejus negligentiam ut & pravitatem corrigendi: Sin minùs? Civitas malâ constitutione accusari poterit.

5. Servi qui impotes sui tuendi se dedere alteri tuen-

tuendos, defendendos & alendos, aut spontè alterius servitio sese addixere, prout conventum est, debent alimoniam juvari, mercede & vestibus necessariis ornari, omnibusque humanitatis officiiis, prout scil. Subordinatio fert excipi.

6. Herus non debet semper inter Servos, instar vetulæ alicujus, delitescere, & sine omni consideratione instar rauescentis & ovis incubantis gallinæ gracillare & glucire, ut ne habeatur pro *Nabale*, penes quem erat stultitia, 1 *Sam. 25: 25*. Aut instar passeris indefinenter fritinnire & minurire ne omnimodè cognitus in odium descendat & contemnatur. Suspiciant Servi, VITAM Heri; sed non agnoscant.

7. Si autem Servus segnem aut ignavum, ingratum & contumacem ostenderit, in delicti poenam, consuetam ciborum portionem subtrahere, & non nisi dimidiam concedere possumus, ita ut, Servus non inediâ pereat; sed attenuato & diminuto victu affligatur.

8. Si verò in opere ipsi demandato æquo & justo negligentem se præbuerit, mercedem subtrahere possumus proportionè adhibitâ, ac proinde stipendio eum privare, nisi singularis nostri gratia accesserit.

9. Immò si petulans erit, prout conventio fert & linguæ & manuum verberibus sed non atrocibus coercere possumus, nisi mores gentis aliter ferant; ubi tum si servitii pactique leges egrediatur à Magistratu coerceri debet. Non tamen ante tempus eum, nisi causâ cognitâ dimittere possumus, ni Lex aut Mos locorum

ali-

aliter ferat, quæ admodum hac in parte variant.

10. Dico verberibus & verbis non atrocibus coercere nos Servos debere: Non enim nobis privatis data est licentia, mutilationem, vulnus, verbera gravia, percussiones, quibus Famuli vel Servi VITÆ periculo exponitur, imponendi, munus tale ad Magistratam Civitatis deferendum est: Verba verò atrocia non tam Servum feriunt, quàm Deum, Proximum & proximam Conscientiam.

11. Nequeunt Servi Dominorum bona alienare, ne Eleemosynâ quidem exceptâ, nisi Dominorum consensus probabiliter præsupponatur, aut ea sit pauperis necessitas, quæ factum alio modo absolvat.

12. Si Servus damnum culpabile peccet, in solidum peccat ipsi Domino, unde Dominus tenetur repetundarum, aut damnum passio Servum pro noxa dare; si citra culpam illatum sit damnum, solutum est ex omni parte, nisi quantum ex illato damno facta est locupletatio.

13. Servus non tenetur Domino obedire in malis; quoniam nullo in casu facienda sunt mala ut eveniant bona.

14. Neque debent Servi divendi nisi sint Bello capta mancipia, aut more Latino, *Servi Adscriptitii*, aliàs *Manni Mortui* vel *Homines proprii* vocati, qui pariter cum fundis vendi possunt, & quicquid acquirunt Dominis suis acquirunt.

15. Ex præcedentibus animadverti potest, Servos, non obstante devinctio, Contractus seu

seu Pacta inire posse, adeò ut activam simul & passivam obligationem habeant; Circumspecti ergo sint pro ratione sua; quemadmodum enim Servi possunt esse versuti: Ita Domini multis gradibus solent esse versipelles, fraudulentum, & Servorum deceptores vasserrimi. Præsertim in herba Potentiorum, apud quos consuevit esse pro ratione voluntas, talis solet anguis latere.

16. Servi dum sunt liberi, sic seipsos Potenti Domino elocent, ut tractu temporis possint convalescere; nam multi servi, maxime *Aulici*, oleum & operam solent perdere, quando se cogitant accepturos argentum, nanciscuntur flagellorum & plagarum unguentum: Aut locò auri avidè expectati unum magnum nihil contrectant, multoties mortem sibi lucrantur. Multi Magnates multa promittunt: pauca aut nihil præstant, inde est quòd Poëta dicat:

*Gratia Magnatum leporino tergore fertur.*

17. Quidam sunt tam *Tiberiani*: hoc est, Callidi, Factiosi, Sycophantæ, Simulatorèssimè, ut quos summè odio habent, illos impensè se diligere simulent, illisque publicè bene-faciant; ut eos tandem lapsu graviore ruere faciant. Exemplum habemus in *Claudio Tiberio Nerone*, qui *Libonem* Præturâ ornabat, quem tacitè oderat, convictibus etiam adhibebat non vultu alienatus, non verbis commotior: adeò iram condiderat: post, in caput ejus inquisivit, & è mediò sufferre remis velis intendit. *Tacit. l. 2. §. 4.* Hic habemus hominem, qui *Spem Vultu simulat, premit altum Corde dolorem.*

18. No-

18. Notum est quidem Scriptores quàm plurimos Principum status increpare, & falsissima quàm plurima odio adversùs Dominantes scribere: Eodem modo adhuc adversùs multas Resp. sævitur, Alii Ecclesiasticum VITÆ ritum, Alii Nobilitatem, Alii alium VITÆ statum mordaci perstringunt stylo:

*Omnia, si nescis, loca sunt plenissima nugis,  
Quorum tota Cohors est inimica Tibi.  
Ecclesia nugæ regnant, & Principis Aula:  
In Claustro regnant, Pontificisque Domo.  
In nugis Clerus, in nugis Militis usus  
In nugis Juvenes, totaque Turba Senum.  
Rusticus in nugis, in nugis Sexus uterque  
Servus & Ingenuus, Dives, Egenus in his.*

Nec convitia & opprobria duntaxat in universum VITÆ genus; sed etiam in totas Nationes jactamus, dum alii alios contumeliosis Epithetis laceffimus & iniquissimâ Logicâ paucorum crimen in omnes diffundimus: Sic *Anglus* dicitur tactiosus. *Scotus* thrasonicè agens aut ampullas & lesquipedalia verba projiciens. *Turca* bardus, stupidus & Sodomita. *Italus* prædicator. *Gallus* levis, stultus & scortator. *Romanus* ignavus. *Hispanus* superbus. *Polonus* rixosus, contentiosus & arrogans. *Batavi* audiunt diverbium: *O Batavicum ingenium! Vasco fur. Tartarus* inclemens, horridus & ferox, quod quidem verissimum est. *Germanus* ebriosus: Notum est illud vulgare quod cuidam per quendam tribuitur:

Ger

*Germani possunt cunctos perferre labores:  
Optimam possent tam bene ferre sitim!*

## R E S P O N S I O:

*Ut nos dura sitis, sic vos Venus improba vexat:  
Lex Veneri lata est Julia: nulla Mero.*

19. Nec nos Rerum Mundanarum inconstantiam, præsertim quædam Aulica VITÆ genera probè interdum, ut Bona verfatilia castigare omittimus. *Exeat ex Aula qui velit esse pius*; Ait non nemo. Sanè ratio hæc esse potest, quòd Pietas & Veritas exulent ab Aula. Hoc ipsemet *Ludovicus XI.* Rex Galliarum professus est. Illum enim dixisse aliquando, Historici referunt: Se in Regno suo & potissimum in Aula propria abundare omnibus rebus, unâ exceptâ: Quam verò innueret rem, dum quæreret unus ex familiarioribus Aulicis? *Veritatem esse respondit.* Laureatus ille, suprâ citatus Miles & Poëta Hungaricus Petrus Beniczki, abundè satis, amaritudines VITÆ istius Aulicæ degustando, non potuit non insurgere & Publicis suis Rithmis Hungaricè conscriptis, nœnias & verfatilitatem ejus, eò aspirantibus proponere. Quæ ex Patrio Idiomate h. m. vertam in Latinitatem. Titulus sit: *Non est in Rebus Mundanis constantia, maxime in VITA Aulica:*

1. *Eques* tantum fugit,  
Quantum *Eques* cogit,  
Sudores emittendo:  
Spiritus amittit,

S

Ma-

Malum sibi quærit,  
Identidem cadendo:

Tandem contemnitur,  
Ad arva pellitur,  
Sæpius vapulando.

2. *Canes* iustentantur,  
Demenso tractantur,  
Excubant pro pecore:

*Feles* nutriuntur,  
Gremiò foveantur,  
Vigilant pro penore:  
Tempore labuntur,  
Et extenuantur,  
Privantur à fœnore.

3. *Canis Venaticus*,  
Quando currit lepus,  
Insequitur extemplò;  
Pertingit leporem,  
Evomit cruorem,  
Privabitur pabulò:

Jam non est oboli,  
Penditur nihili,  
Transploditur à servo.

4. *Falco* frangit pennas,  
*Nisus* rumpit alas:  
Dum sequuntur alaudas:  
Nec ampliùs mētas  
Reddunt opiparas,  
Negant habere prædas:  
Unde totas quantas  
Deplumant miseræ,  
Projiciunt in aquas.

5. *Tau-*

5. *Taurus* jugum agit,  
Jugum collum angit,  
Nihil parcat corpori:

Halitum eructat,  
Et linguam exlesat,  
Traditur *lanioni*:

Ante cute solvit,  
Jam carne incipit,  
Frons petitur securi.

6. *Natat Navicula*,  
Scindit undas prorâ,  
Plena volat farinâ.

Sale consumitur,  
Tandem discutitur  
Ante gemens carina.

*Ense* vitato,  
Abjicitur ultrò  
Ante cara *Vagina*.

7. *Piscator* piscatur:  
*Auceps* aucupatur:  
Pisces & aviculas.

*Venator* venatur,  
Ardua sequitur,  
Ut captet sævas feras:

Sic *Dis* dominatur,  
Et promissa fatur,  
*Servos* lactat & *Servas*.

8. *Servus* consenescit,  
Excubias agit  
In gratiam *Domini*:

Nihil non molitur,  
Omnia patitur,

S 2

Ut

Ut stet suæ fidei:

At tandem hunc rarum

Decrepitum *Servum*,

Pendit *Hervus* talitri.

9. Quicupit optatam

Traducere VITAM,

Exeat ex *Aula*

Nulla *salus* ibi,

Nihil constat sibi;

Immodè præstat *caula*.

Nam *Virtus* in cassa

Delitescit *casa*,

Et non in *Basilica*.

10. Tanta promittuntur,

Quanta non præstantur,

Apud quosdam *Magnates*:

*Servos* alliciunt,

Dolosè vinciunt:

Velut ferrum *Magnetes*,

Omnia sunt vana,

Quæ coaxat *rana*:

Tractes ergo lebetes.

11. Hæc sunt verissima

Sine omni ruga,

Ventus est *promissio*.

Quid quæso *lagena*?

Sine vino *cupa*?

Sitienti stomacho?

Sine lino, *lanâ*

Non crescunt stamina;

Exulante girgillo.

12. Si neges his fidem,

Contrariam sortem

Asseras esse vero.

I sequere *Aulas*,

Longum ibi vivas,

Exaudies illicò:

*Canis* fatigatus:

*Servus* decrepitus:

Priventur à demenso.

20. Quæ omnia Exemplis innumeris si per tempus & paginam liceret illustrare possemus. *Paridem* Aulicum & Saltatorem insignem, *Nero* velut truculenta Bestia in perniciem humani generis nata, pro re vilissima, quod cum doceri ab eo cuperet, discere saltare non potuisset, nefariè interfici iussit. *Dion in Nerone* §. 16.

21. *Alexander M. Parmenionem* ipsi Familissimum, Ducem suum præstantissimum innocentem & nil sibi malè conscius, crudelissimè interfici mandavit. Immodè multos suorum Aulicorum, Amicorum, & Consiliatorum optimè meritorum, qui cum pro Deo habere & adorare nollent more *Persarum*, nec non *Clitum* Ducem suum fidelissimum, aliòsque, inter pocula miserrimè è medio sustulit. *Quintus Curtius in Hist. Alex. M. Lib. VII. p. m. 161. 162.*

22. *Bellisarius* Summus ille Copiarum Romanarum Præfectus per *Iustinianum* Imperatorem aut *Tribonianum* hujus Cancellarium exoculatus est. Vid. *Secl. XII. §. 14.*

23. *Nero*, Præceptorem suum Aulicum viz. *Senecam*, cui sæpè jurabat periturum se potiùs quam

quàm nociturum, per venarum in brachiis & pedibus apertionem, cicutæ potionem, stagni aquæ calidæ immiſſionem, mortem ſubire juſſit, & ſic in rei veritate Senecam fecit. *Tacit. l. 15. c. 63.* Epitaphium à *Seneca* compoſitum hic loci notare poteſt *Anlicus*.

*Cura, Labor, Meritum, ſumpti pro munere Honores,*

*Ita alias poſt hac ſollicitate Animas.*

*Me Deus à vobis procul evocat: ilicet actis*

*Rebus terrenis, hōſpita terra, vale.*

*Corpus avara tamen ſolemnibus accipe ſaxis*

*Namque Animam cælo reddimus, Oſſa tibi.*

24. *Corbulonem* Virum inſignem & Belli Ducem, *Armenia* occupatorem, & pro *Nerone* multarum præclararum rerum patratores: cui oblatum fuiſſet à Militibus Imperium ut *Neronem* dejiceret; quod tamen accipere noluerat ut in Fide *Neronis* perſtaret: Sine cauſâ poſt tantas Reſgeſtas & præclara Facinora *Nero* interfecit, nèque dignum Laboribus & Fide ſua præmium à Tyranno accepit. Moriens nihil aliud, dixit, quàm *æſt*, dignus, quâ voce ſe reprehendit quòd tantis occaſionibus oblati à *Nerone* non defecerit, & quòd inermis ad Tyrannum acceſſiſſet. *Dion ibid. Neron. 16.*

25. *Claudius Tiberius Nero*, ut reſert *Valerius Maximus l. 9. c. 11.* *Lucium Aelium Sejanum* illuſtrem fecerat, atque ad ſummos Honores evexerat, adeò ut, ejus natalitius velut Cæſaris celebraretur, ipſi ſtatue aureæ ponerentur colerenturque. Sed quia, ut dicebam, mul-

ti Magnates blandientes fallunt: hoc eſt, aliud dicant, aliud ſentiunt. Suſpicionem indignam apud ſe *Tiberius* effingit, longam & criminofam Epiſtolam contra *Sejanum* ad S. P. Q. Romanum ſcribit: Unde *Sejanus* in Carcerem detritur, poſt cum omni ſtirpe & familia occiditur, publicè cadavera in plateis ludibrio habentur, & ita qui imprimis invocabatur & adorabatur, jam modò execratur & deteſtatur, mox in *Tiberim* projicitur, Statue antea erectæ depopulantur, nomen è Faſtis & Monumentis publicis deletur, tandem tempore edaci Memoria conſumitur, *Dion in Tiberio §. 11. 12. & Corn. Tacit. Lib. 5. §. 2.*

26. Ut *Joſephum* Virum Caſtiſſimum, *Papiſpharis* Aulicum, ejusque domûs Præfectum, protervè in Carcerem detrufum, *Gen. 39: 4. 5. 20.* *Schadracum*, *Mefchacum* & *Habed-negonem* Præfectos negotii Provinciæ Babylonæ, vinctos, cum ſuis chlamydis, ſubligaculis, paludamentis & veſtimentis ſuis in mediam Fornacem ignis accenſam conſectos, *Dan. 3: 12. 21.* *Danielem* Eparchorum & Satraparum Regni *Darii Medi*, Principem miſerè in Foveam Leonum projectum *Dan. 6: 17.* *Davidem*, Regis *Saulis* Generum, à Socero infideliter tractatum, perſequutum & odio habitum, *1 Sam. 19.* &c. impræſentiarum taceam. Tales gratias læpenero Principes ſuis Alumnis & Aulicis, nec non, aliis quàm plurimis de ipſis bene-meritis reddere conſueverunt. Ut cum *Ovenio* dicere poſſimus:

*Defleret mores, si viveret Heraclitus;*

*Nostraque videret tempora Democritus;*

*Quaquam ad videndum curas & inania mundi*

*Splenis Democritus non satis unus habet;*

*Ad casus hominum lachrymarum rore rigando,*

*Heraclite, oculi non satis ambo Tui.*

27. Verum! non decet Christianos tales esse Bestias & vesanos subjectorum aut fervorum mactatores, & vecordes Tyrannos, longè alia sunt Hominis L. A. B. Dispositi, & Civitatis benè constitutæ requisita, quæ superius ad revim usque trivimus. Sic homo Christianus ficiat omnia, tanquam spectet aliquis, sic vivat cum hominibus tanquam Deus videat, sic loquatur cum Deo tanquam homines audiant.

28. Avara Latinitatis manus quatuor solum verba *Imperativi Modi* terminavit in consonante; in quibus tamen totum Fidelium officium complexum, Imperantibus & Ministris animadvertere, iisque consonare, cautum est:

*DIC sine fine Preces, vacuam DUC Crimine VITAM:*

*FAC sapienter Opus, FER patienter Omnis.*

*Sectio XXIV. De Civium erga Concives Muneribus.*

1. **M**utua humanitatis Leges requirunt, unumquemque alterius Benevolam esse, & Pacem mutam conservare ac tueri debere. Videmus dextram ipsam, laevam juvare; immò manus, pedes ipsos aggravatos quandoque la-

lavare: Ita Civis erga Concives debet se urbanum non difficilem, dum occasio, dum necessitas exigit subvenire semper paratissimum ostendere & præbere. Natura Legum Civitatis est in Communem utilitatem ferri, unde, sibi ipsi quis studet, dum Commune Bonum promoveret, & suo Commodo invigilat, dum aliis consulit. Etiam, quod natura omnibus hominibus Affinitatem quandam infuderit, illolque Fraterno nexu conjunxerit, non sufficit, è diametro non pugnare: sed requiritur ut se mutuo juvent & auxiliis tueantur.

2. Fiunt autem homines aliis utiles, vel *Seipso*, vel *Eis* aliquid impertiendo, quod ipsis deperit. Per Seipso proficiunt & Concivium commodis vacant, cum Seipso ab incunte ætate Bonis Moribus & Literis imbuunt, ut Emolumentum Civitas & Concives ex eorum fructu lapsu temporis hauriant.

3. Unde, vehementer errant & Humanæ Societati injuriam faciunt, qui inertem VITAM vivunt, & soli Corpori indulgentes, nihil præter Seipso contemplantur, per modum porcorum in hoc unum intenti, ut pingveant, ut diu vivant, & nullis incommodis afficiantur.

4. Conatus industriosorum & laudabiliter agentium Bonus Civis collaudet, commendet, promoveat, & eos qui Patriæ opitulantur, Communique Bono prospiciunt, & erga alios Benevoli sunt, foveat, juvet, & suspiciat. Si videat quædam in illis, quæ in se potius, quam

in illis amaret, nullâ commotus invidiâ, deficiat; Nam talem hominem detestamur, & Subtilissimus *Josephus Scaliger in tr. de Emend. Temp. Prolegom. p. m. 47.* vocat *Non Hominem*; sed quod ita vocare esset hominibus injuriam facere, *Cænum & Barathrum* nuncupat. Et revera talis postremus bipedum, *Zoilus* jure merito appellari potest; illa enim fortè despicit, quæ attingi nequit, aut quod ad similia pervenire desperet, odio prosequitur. Unum proponat sibi tantum: De posteritate sine labore suo benè mereri.

5. Et si nulla recipiendi spes subesse possit, velut cum Peregrinis transeuntibus, Nautrago & Nautæ numquam in conspectum nostrum redituris, Mendicis, in Nosocomio ægotantibus, in Orphanotrophiis misellis pupillis subvenimus, tamen calamitatibus debemus misereri, aspirantes super cœlestia.

6. Deinde, quod mihi prodest & tibi non nocet, æquum est, ut mihi non prohibeas: Id enim suadet Æquitas etsi non sit Jus. Sic, naturæ malignantis esses, si de Fonte tuo juxta viam posito, Aquam mihi *Haurire* prohiberes: Vel si essem in tenebris Lumen de Candela tua *Accipere* vetares: Aut si frigerem, lignum penes Ignem tuum transportarem & *Accendere* non permitteres. Cum Fons non minuatur, Lux non pereat. Et ignis non absumatur dum mihi impertitur.

*Fortunam reverenter habet quicunque repente*

*Dives ab exilii progrediere loco.*

7. Etiam

7. Etiam si te tedcat rei possessionis, aut nullum usum & fructum illinc accipere sit amplius tibi cordi, inhumanum; immò iniquum videretur mihi denegare, corruptumque malle, quam ut mihi usui sit aut commodo.

8. Quare Jure Mundi, Legibusque permittentibus inutilia Pauperibus debentur, tenenturque ditiores, iis, quæ derelinquunt bona, aut ex eorum mensis velut superflua efferuntur, saltem, egenos sublevare.

9. Et quod *Μακάριον ἔστι δίδναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν*: *Beatius est dare quam accipere*, *Act. 20: 35.* Generosius agere, magisque hominem se præstare censendus est ipse, qui commodato labore, aut sumptibus, aliis benefacit, & eorum necessitati, cum aliquâ sui privatione succurrit: Etiam quædam secretò dat Beneficia, nec, cum præstat Eleemosynam buccinâ cani curat coram se; immò eum, qui ab ipso juvatur interdum fallit, ut habeat, nec à quo acceperit, noscat, ut inutiliter verecundus, quod desiderat, inveniat potius, quam accipiat. Tali charitatis officio P. M. *Parens noster*, Servum suum Natione *Polonum*, juvenem planè stupidum & barbarum, omnia esse Fatalia, & merâ contingentia niti asserentem, ab Atheismo; rudimenta Christianitatis subinde ipsi instillando, convertit, qui tandem homo fidelissimus & Christianissimus ex crebo Parentis, nummorum quandòque ferme in frustaneum depositionis, aliarumque rerum circumstantiæ, exercitio, evasit. Huc pertinet dictum *Ptolemæi* Regis *Ægypti*: *Τὸ πλεονεξῆν τὰ*

*πλεονεξῆν*

πλουτίειν ἐν βασιλικούτερον: hoc est, *Magis Regium est ditare, quam ditescere.*

10. Circumspecti tamen hâc in parte debemus esse, ne ista charitatis officia accipientibus sint exitiosa: Jurè enim, Hydropico frigida; Importunis vexationibus somnus Lethargico; Arma Furienti: Prodigio pecunia, deneganda sunt. Quia in Beneficiis offerendis non tam potentium voluntas, quàm utilitas pensanda est, nec tam attendendum, an qui munus accipit, doleat; sed an gaudere debeat.

11. In acceptore Beneficii requiritur: nempe ut erga Benefactores piè afficiatur & animum redhostiendi benignè testetur: hoc est, pro Beneficiis abs quovis in se collatis suam gratitudinem declaret, benefactum agnoscendo, deprecando, pensando, & si factò non liceat gratitudinem referre, saltem animo bono gratiam habendo, aut verbis gratias agendo: Nam munera remunerationibus remunerati, & munificum esse sæpenuerò non licet.

12. Unde, acceptores Beneficii non debent esse instar Porcorum sub ilice & subere aut quercubus gratiâ vorandarum glandium hærentium, qui helluantur & pinguescunt, glandes deproperatas avidè captant, unde proveniant oculos non attollunt: Animadvertant propter hoc esse inventum inter homines Beneficium, ut inter se arctius adstringantur, & occasio detur, Amorem, Benevolentiam, Liberalitatem exercendi.

13. Si verò quis alteri obstringi abnuat, prudentiâ

dentiâ quâdam poterit ita oblatum Beneficium declinare, ut offerens operam suam rejici aggrè non ferat: Si autem aliquis largiatur aliquid non rogatus, haut pertinaciter respue, ne videaris aspernari, tibi que Ingratitudo obijcitur.

14. Nullum videtur vitium esse sordidius, quàm Ingratitudo, cum nulla sit Gentium Barbaries, nulla Morum Immanitas à quâ non damnetur & excretur: Non enim aliter Ingratus se habet, quàm Fur, Sicarius aut Proditor, etsi Injuriosus apertè alteri non fiat. Ipsæ ferè nostrâ indultriâ nobis conciliatæ gratiam rependunt, nos agnoscendo, sæpè que tuendo. *Pannonibus* Regibus mos erat cum Proceribus & Nobilitate familiariter vivere & miscellis aditum habuisse, referente *Ant. Bonf. Rer. Hung. Dec. IV. Lib. VII. p. Bibliotheca Amstelod. 630.* Unde *Matthias Corvinus* factus est Rex Humanissimus & Beneficentissimus. Priscorum Regum sequebatur vestigia, quin & comitate, indultriâ & ingenij dexteritate in quocunque officiorum genere præstabat, ne plus gestarum rerum magnitudine, quàm VITÆ imitatione, eorum quemquam præstantissimum adæquare videretur, ne dixerim superare. Cum Optimatibus & Præfectis militum ita quandoque domesticè versabatur ut suavissimâ hâc conversatione conversationis & consuetudinis sibi omnes obstringeret. Nullo benignitatis & liberalitatis officio poterat expleri. Non solum Proceres, Nobilisque milites, officii gratiâ; sed gregarios quosque visitaverit. In castris ægrorum charitate con-

tubernia

tubernia lustravit, sæpe languentes propriâ manu pavit, jentacula porrexit & eos beneficiis affectit: hortabatur ad convalescendum, increpabat pusillanimes, & desperatos consolabatur: sæpe in acie vulnera obligavit. Item amicorum sævâ nausæa laborantium, inter visitandum perhumanè succurrisse: ac veluti Regiæ Dignitatis immemor & expers, stomacho fluctuantis caput sustinuisse. Quin etiam sæpe gloriabundus retulit, se *Nicolao Bosne Regi*, cum per officium visitasset, ægrotanti pedum digitos interfricuisse. Omitto sales, quibus defectuosos obfirmabat animos, & mortuos ab inferis revocabat. Inter amicos quândoque licentiori symposiâ & commessatione lautioris usus est, ut curas abigeret. Et ita ad promerendam Procerum ac Militum benevolentiam sua liberalitas, clementia, popularitas & beneficentia promptum effecerat, ut à cunctis ex animo coleretur, & ex omnibus officii generibus munificam omnium fidem sibi comparabat, & benevolentie acceptæ redhostia omnes accipientes meditabantur, ita ut, cum custodiam Regii corporis vetaret & in ea delectari noller, ultrò Milites, meiores grati beneficii, accurrebant & illum velut Parentem Munificentissimum & Benignissimum nocte dièque custodiebant, ordinem vigiliæ ipsi milites sibi ipsis impertientes: Ut sic publicâ ipsâ curâ & sollicitudine muniretur. Pro stipatoribus omnes certatim corpus ejus pervigili quisque custodiâ asservabat. Hic habemus exemplum non contemnendum gratiarum

tiarum actionis pro acceptis beneficiis imitatione excipiendum.

15. Sed quòd Beneficium gratuitum sit, liberèque collatum: Etiam quòd honestum semper debeat continuari, nec ob Ingratitudinem omitti: Et quòd Gratitude non sit debita, cum non sit conventa, etsi levis aliqua spes ejus affulserit, in Ingratum Actio dari non potest, cum Actio sit Jus persequendi in judicio, quod sibi debetur: Nec etiam fora Ingratis propter frequentiam sufficerent, & quòd Beneficia alterantes, majora aut minora reddentes interfectæ circumstantiæ illimitatè variant.

*Sectio XXV. De Civium in Civitate Loquentium & Jurantium Legibus.*

1. **A**Ntequàm Leges Conventionum seu Pactionum inter Cives tractaremus, operæ pretium erit quædam de Loquentium & Jurantium Legibus prælibare, siquidem Pacta Contractusque sermone peragantur, necessariūque humanæ societati tuendæ videatur, ut cujusque sensa, verbis, aut scripturâ patefiant.

2. *Primum* quod in Sermonem observandum est, ut nemini nostris verbis, gestibus & actionibus imponamus; sed eo sensu nos geramus, quo sensu alios concepturos judicamus: hoc est, regulariter, in sensu quem habemus in communi hominum usu. Quia verborum & signorum significatio pendet ex hominum usu ad animi

nimi nostri Senta exprimenda: unde, si nolint intelligi debent negligi, prout nummi falsi reijci & contemni: Hinc invaluit vulgiverbium: *Verba valent usq; ac nummi.*

3. Unde consequitur non esse Civi fas pro lubitu nova verba & obsoleta fingere; sed usitatis & consuetis uti. Hinc iterum *Græcorum* Adagium irrepsit: *Communissima via, est tutissima via.* Ita etiam ratio loquendi & scribendi Doctis usitatissima est tutissima. Unde *Lucianus* laudat genus dicendi *in universum*: hoc est, paratum facile, non affectatum, non horridum, non durum, vel asperum. Et pulchrè ait *Ovidius*: *Sermonis publica forma placet.* Similiter *Gell. l. 1. c. 10.* prudenter monet: *Vivendum moribus præteritis & utendum verbis præsentibus.*

4. Contrà autem qui verbis non consuetis, sed obseuris & obsoletis utuntur, illi seiplos produnt, quòd miri ingenii sint homines, nec fides iplis facilè datur, sapissimè etiam risui exponuntur, & eorum luxuriosè prolata obsoleta verba eodem modo in ipsos reciduntur: prout *Donellus* insignis ille J. C. euidam novatori & verborum palustralium atque sesquipedalium affectatori, regessit: *Rere tumet, te fari scia; sed fabare nescio: Admissi queso risum tenentis amici.* Sic in *Hermetem* talis exultat locus: *Reverentur*

*Gaudet Honorificabilitudinitatibus Hermes, Consuetudinibus, Sollicitudinibus.*

Ita apud *Plautum* in *Curculio* Militis nomen est *Therapontigonoplatagidonai.* Quo se *Trapezita* ait saepe quatuor totas explevisse ceras, dum scribentem suis rationibus.

5. Li-

5. Licitum tamen est aliquandò, salvâ veritate, illa verba proferre, ex quibus probabiliter novimus auditores aliquid conclusuros falsi, *Act. 23: 6. 7. 8. 9.* Hoc etenim non est mentiri, vel fallum testari; sed tantum occasionem alteri præbere errandi, non ad peccatum committendum; sed potius vitandum. Etiam si auditores tales sint indole, ut ex nuda & simplici rei narratione magnam incommodum incurrant, bonoque quod molimur, sint obstacula polituri, bene intellige, nobis mentem nostram tunc temporis dissimulare & ficto palliatòque sermone uti, aut tacendo veritatem celare, præsertim si nèque pietas, nèque justitia, nèque charitas postulet ut manifestetur. *Matt. 26: 63. Marc. 14: 61. & 15: 5. Luc. 23: 9. Joh. 19: 2.* Etiam quòd Præceptum affirmativum, de Veritate dicenda non obliget ad semper; sed prout exigit ratio circumstantiarum benè expensarum, reverà licere, dicere non vereretur.

6. Quid quod nec illi ad quos Sermonem dirigimus, illum capiendi, vel cognoscendi Jus habeant: Nec etiam ullâ ratione obstringamur efficiendi, ut illi mentem nostram penetrent & quæ meditamur comprehendant. Id in hominum Societate non raro expedit, ut reverà occultentur vera, & quod potissimum eò temporis fieri debeat, à multorum notitia amoveatur.

7. Similis est ratio partem tantum veritatis dicendi & alteram partem occultandi, si quis, attentis circumstantiis, jus habeat ad illam occultandam,

T

tandam,

randam, *Jer.* 38: 26. 27. Secus verò, dum aliquis suam sententiam alteri manifestare teneatur; quoniam ambiguo sermone utendo, aut unam tantum veri partem detegendo, Fidem violat, & contra Justitiam delinquit.

8. Illa tamen veritatis occultatio, quam plerique docent per mentalem reservationem, vel per æquivocationem verbalem, in variis casibus posse adhiberi, si in gravi testimonio adhibeatur & usurpetur, nihil aliud est quam *Ars Mentiendi*.

9. Consequitur ex dictis, illum qui non decipiendi; sed jurandi potius, aut illum Affectum extorquendi quo gravatur aliquis, animo facit pro mendaci haberi non debere: Non illum, qui Irato imponit. Mœstum demulcet, aut Ægroto gratam esse Medicinam colorato sermone persuadet. Neque illum qui dolo bono: hoc est, deceptione, consentaneè ad Rectam Rationem, & fictis narrationibus puerorum animos fallit, & ad Virtutis amorem, Vitii odium excitat. Hinc dicit, D. *Petr. Cumeus* in *Sat. Menippea* p. 1. Equidem sic à Maximis Viris accepi, totum hoc admodum Leve & venià dignum esse, mentiri: turpissimum verò & improbum, fallere mendacio. Multis tamen Actionibus obstant loca Scripturæ *S. Joh.* 8: 44. *Eph.* 4: 25. *Col.* 3: 9.

10. Ut autem Sermonibus nostris firmitas aliqua accedat Juramento utimur, evidenter ex natura sua licito, nihil continente præter confirmationem testimonii nostri per invocationem testimonii Dei.

11. Quod

11. Quod autem Testimonium sit de re facta vel Futura, idcirco Juramentum, testimonium confirmans, distinguitur in *Affertorium* & *Promissorium*. *Juramentum Affertorium* est de re Præterita, aut Præsentem, 2 *Cor.* 1: 23. sub quo & *Decisorium* continetur, quando inter se altercantes & coram Judice exhibiti eorum altero, Juramentum præstante, lis solvitur & disceptationi finis imponitur.

12. *Juramentum Promissorium* sub quo & *Comminatorium* continetur, est de re futura, 1 *Sam.* 20: 12, 13, 14. *Comminatorium* est quo promittimus alicui aliquid mali olim præstandi: ut Salomon, qui 1 *Reg.* 2: 24. sic jurat: *Vivit Jehova hodie morte afficietur Adonia.*

13. *Juramentum Affertorium*, quia est de re jam facta, non obligat ad quicquam faciendum; sed tantum veritatem rei jam factæ confirmat. Et hujusmodi Juramentum, à Testibus ante Judicem adductis expostulatur, aut ab aliis, qui factum aliunde cognoscere potuerunt. In hoc Juramento *Romani* consideratissimo illo vocabulo *Arbitror* utebantur, etiam tunc cum illa dicebant jurati, quæ comperta habebant.

14. *Juramentum Promissorium* habet in se vim *Juramenti Affertorii*, quatenus testantur firmam animi intentionem præsentem: sed obligat insuper ad illud faciendum quod perhibetur intendi. Unde per hoc Juramentum, jure jurando res alteri pollicetur, seque majori cum religione ad fidem quis præstandam obligat.

15. In Juramento hæc conditiones servandæ.

T 2

Primo,

*Primo*, ut Jurans illud ipsum quod juramento asserit aut negat, verum aut falsum esse agnoscat, secundum Animi sui sententiam loquendo. *Secundo*, ut serio, & praevo indifferenti rationis iudicio, seipsum ad Juramentum suscipiendum deliberet, & quod Juramentum contineatur verbis conceptis, non debet in verbis ludere: i. e. verborum significatio & valor ipsis etiam spectantibus, non tantum juranti innotescat, ut sic aliqua de re affirmata vel negata, solemniter Juramenti formulam insignita, certitudo maneat, mentalis alicujus reservationis expert. Unde cum *Romani* jurarent per templa Tonantis: hoc est, per *Capitolium*, seu *Fovem Capitolinum*; *Judaei* vero aliam Juramenti formulam uterentur, *Martialis* sic Verbum Poetam aggreditur, *Lib. 9. Epigram. 95.*

*Ecce negas, jurasve mihi per templa Tonantis,*

*Non credo, jura Verpe, per Anchialum.*

Missis D. D. Virorum istius per *Anchialum* interpretationibus, nobis cum Doctissimo *Selden*, & Inexhausta Eruditionis Viro Cl. D. *Jacobo Gaillardo*, in Theologicis Praecept. Privato & Publico, necnon, Lugd. Batav. Hospite nostro astumatissimo, in tr. de *Filio Hom.* laudatissimo, Q. XI. sono verborum lingua barbarae: hoc est, Hebraicae seu Syro-Chaldaicae falsus Poeta videtur. Nam cum formula Juris-Jurandi Verporum: hoc est, *Judaeorum* tribus constaret vocibus *על שם* *יהוה* *יהוה* *יהוה* *Peran*

*chi*

*chi olam*: hoc est, ulciscatur, aut vindictam sumat, *is qui vivit in aeternum*, nempe si pejeraverim. *Martialis* voces misere luxavit & dispescuit pro lubitu, ut ex prima syllaba Praepositionem *Per* fecerit: An vero cum *Chi & Olam* capulato, suum illud *Anchialum* composuerit. Tamen quicquid sit, videmus *Martialem* Poetam, arcere Verbum a Mentali aliqua reservatione, & urgere ad veritatem sine furo dicendam, ut non tantum Juranti; sed & ipsi *Martiali* spectanti, res Juramento confirmata innotesceret. *Tertio*, etsi per falsos Deos juraverit, quos ille non ut tales; sed ut veros agnovit, illud ad quod juratum est observet, secus perjurus est habendus, aut Jus Juramento pervertens.

16. Et quod in *Juramento Promissorio* duplex sit obligatio, una homini, altera Deo, quod & si pervim aut metum extorqueatur; Juramentum tamen obligat ad impletionem sui.

17. Quamvis injuria facta tollat obligationem respectu hominis injuriam inferentis, quoniam in Injuria nullum Jus fundatur; *Secl. 24. §. 15.* manet tamen obligatio Deo facta, quae sine irreverentia & Dei injuria non potest & amitti & insuper haberi. Hic est casus hominis a latronibus ad Juramentum adacti de redemptionis pretio solvendo. Vel non jurare debet, vel Juramentum quod licitum habet religiose observare.

18. In Juramento tamen subintelligi saepe debent conditiones illae, quae ex More & Con-

ſuetudine recepta, concipi præſumuntur ab iis, ad quos Juramentum ſpectat: E. G. 1. In omnibus *Juramentis promiſſoriis* ſubintelligitur illa conditio, *ſi Deo placuerit*. 2. In iis rebus, quæ ſuperioris poteltati ſubjiciuntur, ſubintelliguntur, *ſi ipſi etiam placuerit*. 3. De rebus ita mutabilibus, ut rem promiſſam faciant illicitam, ſubintelligitur, *ſi res in eodem ſtatu permanſerit*. 4. Qui jurat ſe ſtatuta Societatis ſervaturum, ſubintelligere judicandus eſt, *prout illa ſtatuta in more ſui poſita & approbata conſuetudine ab aliis obſervantur*. 5. Qui jurat ſtare præceptis aut ſtatutis alicujus vel hominis vel ſocietatis, eo ſenſu debet intelligi, ut juramentum non extendatur, *niſi ad veriſimiliter cognita, non ad ea, quæ ſi cogitationi jurantis occurrerent, veriſimile eſt, eum non promiſſurum*.

19. Ex quibus conſequitur non eſſe Juramentum, cum aliquis odio impuſus in alterum jurat & Hoſtis minis territus promiſſis Juramentum adjungit, cum animo deliberato id factum non ſit, ſed iniquo Affectu & Timore; quæ tamen in rigore & non perfunctorie examinanda ſunt.

20. Hominis *Adjuratio ad ſemetipſum*, quo ſemetipſum de crimine cogeretur acculare, quod, *Juramentum acquiſitorium & ex officio audit*, nèque fundamentum habet in Scripturis & Legi Naturæ adverſatur, cogit enim ſibi pœnam accerſere & accelerare. Etiam quòd ſolus Deus judicet de occultis, Judex judicare teneretur de ſolis liquidis. Etiam plerique hæc ratio.

tione inducerentur ad pejerandum. Memor ſum exemplorum quàm plurimorum, inter cætera cujuſdam Virginis furti accuſatæ, quam Leges Patriæ ignitarum forcipum uſtulationi ſubjecerant, tam immaniter, ut viderim P. M. Parentem noſtrum, qui intereſſe Senatoriæ ſeſſioni debebat, ſummo cum dolore & triſtitia tuliffe; quoniam ipſi videbatur hoc factum quaſi irrationabile & contra Naturam, cum homini nihil ſit charius ſuâ Libertate & VITA, & ſic idem per idem: hoc eſt, VITAM per VITAM amittere ſuprà, *vel ſi mavis*, intrâ Rectam Rationem poſitum ſit: Illa tamen Virgo erat tam Conſtantiffima, ut quæ ante uſtulationem præferebat, eadem; ſine omni mutatione & additamenti tempore uſtulationis ingeminavit, & ſe furti ſcelus non feciſſe, bonâ conſcientiâ, *ut ajebat*, affirmavit. Ipſi *Athenienſes* in more habebant cicutæ potionem, fuerunt illi Gentiles, tamen, poſtquàm illis Sanior Ratio crebrius intimâſſet hoc facti eſſe contra naturam, Legem decretam aboleverunt, & ritum irrationabilem in morem ſaniorum & legitimum converterunt. Chriſtianis pergendum ſecundum Legem Dei & Rectam Rationem. Illud autem ſingulare inſtitutum, Num. 5: 19. De Adjuratione uxoris ſuſpectæ extraordinariè diſpoſitioni propter duritiem cordis Judæorum conceſſum, ſicut repudium non adulteræ, affirmo cum *Celeb. D. Ameſio Caſ. Conſc. L. 4. C. 22. Q. 15. & Cl. D. Georg. Martonſalvi, Exeg. L. 2. c. 10. §. 41.* Et ſuadeo ne

unquam aliquis testibus deficientibus Judicij sua peccata fateatur, hæc enim & similia alia, nullum fundamentum à Spiritu S. habent in Scriptura S. habent, & quod sint contra Naturam, ad irrationabilia deferenda sunt.

*Seclio XXVI. De Legibus, quas Civis in Conventionibus & Pactis tenetur observare.*

**I.** Ura esse triplicia ipse Juris prudentia pupillus aperte callet: viz. Personarum, Rerum & Actionum. *Jus Personarum*, est potestas personæ in personam, cujus vi una præest, diciturque sui Juris, altera subest, eoque alieni Juris est: De his in superioribus satis fusi. *Jus Rerum* est, quo quædam persona potestatem habet in quampiam rem, estque vel *Dominium*, cum res tenetur à Proprietario: vel *Possessio*, cum eam tenet usufructuarius: vel *Servitus*, quum in manu est Ministratoris: De quibus partim in præcedentibus loquuti sumus, partim in sequentibus loquemur. *Jus Actionum* est, certum factum cum obligans, qui illud admittit: sive id sit Promissio s. unius tantum obligatio libera ad aliquid præstandum: sive *Conventio*; hoc est, duorum pluriumve in idem, placitum & consensus, seu quod idem est, quæ duo vel plures in aliquid dandum vel faciendum consentiunt, scque ad id præstandum obnoxios & obstrictos reddunt: veluti inter se cum suis faciunt, Stipulatores Promissoribus in stipulationibus, pollicitationibus & quocumque alio pacto

pacto aut contractu: sive sit Delictum, quo admisso Jus pœnæ inferenda oritur. Hæc nobis tractanda veniunt.

**2.** Præmissimus Loquentium & Jurantium Leges, ex quibus Civis convenire vel pacisci volens quomodo se gerere debeat, facile animadvertere potest: Non debet simulare agere, sed candidè. Et in omni Conventione cum paciscitur fidei stans: hoc est, Promissorum inviolabilis exequutor ut maneat, necessum est; æquitas enim exigit: hoc est, Sermo non simulatus expressus, Juramentum Promissorium, Amicitia, Humana Societas, Humanitas officia conservanda, & Dissidiorum, Quarularum adeoque Plagarum evitatio desiderant ut omnia decenter & ordinè fiant.

**3.** Ut autem aliquis stet suæ fidei obligatus debet esse vel *Promissione*, vel *Pactione* s. *Conventione*. *Promissio* est duplex, *Absoluta* vel *Conditionata*. *Conditionata* duplex, *Possibilis* vel *Impossibilis*. *Impossibilis* duplex, *Physica* vel *Moralis*. *Physica* est, cum spectatà rerum naturâ ac ordine, res promissa adimpleri nequit. *Moralis* est, cum res promissa lege vetatur & secundum honestatis regulas fieri non debet. Et hujusmodi promissiones vel per nos ipsos fieri possunt vel per interpositas personas, quas etiam adimplere obligamur, si honestè & bonâ fide se egerint, & mentem nostram callentes, jussa tantum persolverunt.

**4.** Possibilis Promissio est duplex, *Completa* & *Incompleta*. *Completa* est, dum Promissor ita

se obligat, ut libertatem det alteri ad coactionem implendi promissa. *Incompleta* est, dum Promissorita se obligat, ut libertatem non det ad promissi impletionem vi impellendam. Quod tamen Viri Generosi, & Honesti, non tam Iustitiæ quàm Veracitatis & Constantiæ Legibus adstricti, præstant, eliguntque potiùs aliquid inde incommodi pati, quàm promissum non implere.

5. Completa Promissionis Valor est deliberata & libera Fidei obligatio s. Fidelitas, aliàs Veritas promissionis dicta, *Matt. 23:22*. Fidelitas hæc, est Virtus, qua inclinamur ad fidem datam constanter servandam. Fidelitas hæc est Iustitiæ Civilis ac omnium Pactorum & Contractuum fundamentum: Promissio enim reciproca contractus.

6. Requiritur ad Completa Promissionis Valorem, quia cum ab eo qui promittit exigi possit ut fidei satisfaciatur inexcusabilis habetur, si ea de re postmodum quærat, quia in ipsius Arbitrio fuit illud concedendi & suum consensum denegandi; quoquomodo autem fecerit? sermone, literis, nutibus, silentio, consensisse videtur, præsertim quòd apud Ictos, qui tacet consentire censetur.

7. Violatio aut neglectus hujus fidei directè facit ad omnes Contractus & Societates Humanas turbandas ac tollendas, quia pendet ex Fide & Veracitate hominum tanquàm ex primario suo vinculo & fundamento.

8. Consistenti interest ut cum ratione utatur,

tur, & mentis compos sit. Consensus enim Perceptionis claritatem præsupponit, unde arripotiùs, quàm consentire dicendus est, qui turbulento & præcipiti impetu ad aliquid faciendum fertur: quales sunt, ex asse Ebrii, Insani, Furiosi, quia sperantur *deus in se*, ut & Fanatici, Melancholici, & Stupidiores, quibus adde Infantes, & Prodigos, quos, perfrictæ frontis, & iniquus haberetur, qui ad talis Pacti impletionem urgeret, ratæque haberent vellet, quæ invalido tantùm consensu fuerunt inchoata, facique perfectè conscii non sint.

9. Minores tamen, qui ad perfectum usum rationis pervenerunt, etsi sint sub Curatoribus, si ex consilio deliberato contrahant, talis Contractus in se consideratus quoad forum conscientie videtur valere. Unde etiam *Illi* doc. minores contrahentes absque Auctoritate Curatorum etiam si non obligentur civiliter; naturaliter tamen obligari.

10. Sicut sopita & obruta Ratio consensum destruit: ita illum Error infirmat. Promissio conditionata, si memorata conditio non sequatur, fidem non obligat, quia ubi deest conditio ibi nulla subest obligatio: Si autem error in re, *ait Ictus*, de qua fit Pactum, versetur, invalidum redditur, non propter errorem duntaxat, qui in ea deprehenditur; sed quoniam conventionis constitutionibus contraventum est.

11. Vendendum, Locandum, Mutandum, emptori perspicuum debet esse, quia citra talem

lem cognitionem, *quopactio Consensus liquidus haberi possit*, capi nequit. Unde Empturus aut Conducturus vitio detecto pactum solvere poterit, & alterum, cum quo convenit, compellere, ut defectum suppleat vel pretio damnum fartiat.

12. Promissio, vel dolo malo elicitæ, vel ex errore datæ, vel aded imperfecta, ut non contineat intentionem sese obligandi, non propriè facit contractum. Si tamen alter, verbis alicujus deciperetur, cum suo damno, accipiens illa pro promissione, tenetur illa præstare quod promisit ex modo loquendi, ne daret causam damni quod sequeretur. Vir etiam Generoso Animo, in his casibus, constantiâ fulcitur.

13. Consensus metu gravi extortus non sufficit ad validum contractum. Hoc tamen sic intelligi debet: 1. ut metus talis in illum finem inferatur ut extorqueatur consensus. Si enim ob alium finem esset oblatus, & qui patitur metum, ad evadendum illud malum, faceret contractum, talis contractus validus esset: ut si captus à superiori Autoritate, seu Principe, seu Magistratu, vel etiam Latrone, promittat, ut ab ipso liberetur, talis metus non esset causa, sed occasio tantum Contractus.

14. 2. Metus talis debet inferri injustè. Nam si quis formidine poenæ Legibus statutæ contrahat cum illo quem injuriâ affecit, talis Contractus non potest irritari.

15. Contractus legitimi non versantur propriè

præ nisi circa res licitas, ratio est: 1. Quia in omni Contractu præbetur consensus; Consensus autem ferri in rem illicitam est peccatum. Hinc si is delinquat, qui per Legem prohibita promittit, peccatum duplicat qui illa peragit.

16. 2. Contractus habet in se vim Promissionis; promittere autem non licet, quæ non licet præstare. Hinc quæ promittimus debent esse res nostræ, seu debemus in illa Jus aliquod habere: aliàs enim de re alienâ nihil pacisci nihil promittere possumus: Si verò polliciti fuerimus nos curaturos, ut quod à nobis exigitur, per alterum præstetur, in quem scilicet nullum nobis est imperium: tenemur omnem diligentiam adhibere, nihilque omittere, *quantum Civilis Ratio postulat, & patitur*, apud eum, quod illud obtineat.

17. 3. Ex Contractu exurgit Obligatio. Nulla autem Obligatio potest esse legitima quæ obligat ad peccatum, & eò nomine obligationi Legis Divinæ adversatur.

18. Restat igitur ut Contractus versentur in Rebus Licitis, à nobis dependentibus, & in nostra potestate sitis. Aliàs insanæ & improbitatis argueretur, quia ea promitteret aut pacisceretur, quæ ejus vires excedunt. Hinc nemo ad impossibilia præstanda tenetur, juxta illud: *Impossibile nulla est Obligatio.*

*Sectio XXVII. De Contractibus, seu Pactis in Specie.*

1. **C**ontractus, est communicatio boni ex Pacto seu Conventione obligante, nominatè vel innominatè, lucrativè & gratuitè, vel onerosè. *Prima divisio Contractuum* est, in Nominatos & Innominatos. Contractus Nominati sunt, qui speciale nomen obtinent, quod ab aliis distinguuntur: ut sunt, Venditio, Emptio, Mutuum, Locatio, Depositum, &c. Contractus Innominati sunt, qui nullum sibi speciale nomen vendicant; sed solo nomine contractus indicantur, quorum formula est: *Do ut Des, Do ut Facias, Facio ut Des, Facio ut Facias.* 1. *Do ut Des*, ut do tibi 100. Philippicos, ut des mihi victum per annum. 2. *Do ut Facias*, ut do tibi Ducatonem, ut mihi hanc septimanâ cœmentum facias. 3. *Facio ut Des*, ut facio tibi vestes, ut des mihi nummos. 4. *Facio ut Facias*, ut facio tibi pileum, ut facias mihi calceos. Ex quibus datur Actio præscriptis verbis, cum certa non potest assignari: Naturâ enim comparatum est, ut plura sint negotia, quàm vocabula.

2. *Secunda divisio Contractuum* est, in Lucrativos s. Gratuitos, & Onerosos. Lucrativi s. Gratuiti sunt, in quibus alteri contrahentium parti utilitas aliqua accedit sine aliquo Mercis aut Pretii interventu. Apud *Ictos* tres sunt qui enumerantur. *Commodatum, Mandatum, Depositum.* *Commodatum* est, quando res accipitur gra-

gratuitò in eadem specie denuò reddenda à Commodatario. Commodatarii interest, ut idem individuum, quod accepit à Commodante factum rectumque conservet præter id, quod usu ordinario decidit aut deteritur, nec alteri usui destinet, quàm qui à Commodante bonâ veniâ concessus est. Si Commodatarius speciem commodatam perdidit, tenetur repetundarum: Si verò ejus fuerit naturâ, ut etiam apud Dominum asservata, conservari alio modo non poterit, non obstringitur satisfacere Commodatarius: Immò, si quid in ejus utilitatem erogaverit, æquum est, ut illud à Domino reponatur, præter expensas illas, quæ usum rei ordinarium sequuntur.

3. *Mandatum* est, quintuplex. 1. Mandatum gratiâ Mandantis. 2. Gratiâ Mandantis & Mandatarii. 3. Gratiâ Alterius tantum. 4. Gratiâ Mandantis & Alterius. 5. Gratiâ Mandatarii & Alterius. *Inst. L. 3. T. 27.* Inter quæ excellit Mandatum gratiâ Mandantis, & est, quando quis negotia sibi commissa, sine ulla mercedis spe exsequi suscipit. Ubi Mandatarius non debet excedere fines mandati, si fidus audiri velit: ut ecce, si *Titius* usque ad 100. aureos mandaverit *Mævio* ut fundum emat, vel ut pro *Seio* spondeat: néque pluris emere debet, néque in ampliorem pecuniam fide jubere *Mævius*, alioquin non habebit *Mævius* cum *Tutio* mandati actionem, adeò quidem ut *Sabino* & *Cassio* placuerit, etiam si usque ad 100. aureos cum eo agere voluerit *Mævius*, inutiliter se acturum. Sed

Nervæ

*Nerva* & *Proculus* rectè usque ad 100. aureos *Mævium* acturum existimant, quæ sententia sanè benignior est. Quod si minoris emerit *Mævius*, habebit cum *Titio* mandati Actionem; quoniam qui mandat, ut sibi 100. aureorum fundus emeretur, is utique mandasse intelligitur, ut minoris, si possit, emeretur. *Mævium* verò ab expensis, quas in *Titii* negotiis fecit, aut à damnis, quæ ex *Titii* mandati causa profluunt, liberum facere æquum est.

4. *Depositum*, est Contractus, quo quis rem aliquam Depositario tradit, ut illam custodiat, aservet, & cum reposcit in eadem specie restituat. Tenetur ergo bonæ fidei Depositarius incumbere custodiæ curiosæ rei depositæ, ut ad Deponentis Arbitrium sartam tectamque restituere bonâ fide possit. Nisi fortè illi præstet illâ carere & ob imminentem noxam satius sit in aliud tempus restitutionem differre. Non tamen Depositario eâ re uti licebit, nisi annuente Deponente Domino, si per usum aliquo pacto deterior evadat, aut Domini interfit, ut celetur, & aliorum oculos fugiat.

5. Onerosi Contractus sunt, in quibus utrâque pars æquali onere adstringitur & sit quædam recompensatio. Proprium est Onerosis Contractibus, ut contrahentes æquale onus subeant & tantundem acquirant: secus, elusus Jus habet defectum exigendi, aut initum Pactum solvendi. Quod in Civitatibus benè constitutis familiare est, ubi rei cuiusque pretium decernitur & quanti usu fori, aut præscripto æstimandæ, determinantur.

6. Onerosi

6. Onerosi Contractus sunt, *Venditio*, *Emptio*, *Locati conductio*, &c. Inter Contractus Onerosos antiquissimus apud omnes Gentes fuit *Permutatio*, donec Nummi invalere, quæ est cum res pro re commutatur, utriusque inter contrahentes tacita facta æstimatione. A Permutatione divergit *Donatio*, quæ res nullo Jure cogente, & solâ Animi benignitate alterius fit & conceditur. Quoniam necesse non est ut in ea æqualitas observetur.

7. Ad Permutationem spectat *Venditi-emptio*, quæ res aliqua pro pretio contrahitur aut distrahitur. Per *Emptionem* manet Obligatio pretium tradendi pro merce; per *Venditionem* mercem pro pretio.

8. *Emptio* & *Venditio* contrahitur simul atque de pretio convenit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arha quidem data fuerit: nam quod arhæ nomine datur argumentum est *Emptionis* & *Venditionis* contractæ. *Inst. l. 3. Tit. 24.*

9. Variatur: 1. Dum consensus accedit mutuus & Emptor pretium, Venditor illicò mercem offert. 2. Postquam de pretio convenit merx non nisi ad certum tempus exhibetur. Ubi, si merx ante tempus præfixum pereat, æquum est ut Venditori pereat: Si verò mercem post exactum tempus Emptor sumere neglexerit, ejus periculo maneat. *Inst. Tit. 24. L. 3. §. 3.* 3. Quando Emptor merces sibi sumit, pretio nondum deposito; sed ad temporis certum spatium translato: velut si *Stichus* intra certum diem tibi pla-

V

cue-

cuerit, erit tibi emptus aureis tot. *Inst. L. 3. Tit. 24. §. 4.*

10. *Locati-conductio* affinis est *Venditi-emptio*ni, quæ est cum usus rei certâ mercede conducitur, ut cum per curriculum unius anni domus in habitatio 85. florenis conducitur. Dico certâ mercede constitutâ, quia si Fulloni, inquit *Sacratissimus Imperator*, polienda curandave ac farcinanda farcinatori vestimenta quis dederit nullâ statim mercede constitutâ, sed postea tantum daturus quantum inter eos convenerit, non propriè locatio & conductio contrahi intelligitur; sed eò nomine Actio præscriptis verbis datur. *Inst. L. 3. tit. 25. §. 1.*

11. In conductione observandum est, conductorem ad solvendum pretium non teneri, si res conductionis tempore perierit: Si verò res à Conductore destinata apud Locantem aliquid detrimenti patiatur, ad quod tale non præstandum ante Locans se non adstringebat; immò contra: Conductor quantum usui decessit tantum pensionis jure defalcare potest. Secus si proventus rei vicissitudini obnoxius aut incertus sit, V. G. Si quis solum conducatur cujus fructum anni inclementia perdidit, supermanet pensionis obligatio, quamvis parum aut nihil redditus ipsi redundaverit. Quoniam sicuti redditus exuberantia pensionem non auget: ita æquum videtur, ut ejus sterilitas eam non minuat; quoniam non raro contingat, ut unius anni ubertas, alterius infertilitatem soletur & compenset. *Le Grand. Inst. Phil. p. m. 830.*

12. Hoc

12. Hoc ipsum quod modò diximus vergit ad *Emphyteusin Zenonianam*. Quòd apud Veteres *Venditi-emptio* & *Locati-conductio* tantam inter se familiaritatem habere visæ sint, ut in quibusdam causis quæri solitum fuerit utrùm *Emptio* & *Venditio* contrahatur an *Locatio* & *Conductio*. Lex *Zenoniana* lata est, quæ tamen à *Zenone* originem non trahit. Vid. *Hofom.* quæ *Emphyteusos* contractus propriam statuit naturam, neque ad *Locationem*, neque ad *Venditionem* inclinantem, sed suis pactionibus fulciendam: & siquidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere, ac si naturalis esset contractus: Sin autem nihil de periculo rei fuerit pactum, tunc siquidem totius rei interitus accessit, ad Dominum super hoc redundare periculum; sin autem particularis, ad *Emphyteuticarium* hujusmodi damnum venire, quò jure utimur: hoc est, Totius rei interitus ad Dominum, partis ad *Emphyteutam* pertinet, nisi aliud convenerit. *l. 1. c. de Jur. Emph.* Itaque non poterit *Emphyteuta* ob sterilitatem petere remissionem pensionis: quamvis hoc colonò concessum. *l. 15. §. 2. & seq. h. l.*

13. Unde liquet *Emphyteusin* esse Contractum, cum res soli seu immobiles sub annua pensione alicui traduntur à Domino, non Animo transferendi domini; sed solum usus. Hic officium Domini est, ut ab *Emphyteuta* tantam pensionem exigit, quantam solum ejus meretur: *Emphyteuta* verò officium est, ut annuam pensionem Domino persolvat fideliter, & solum ejus diligenter excolat. Ex hujus *Emphyteusis* abu-

V 2

fu

fu ortum duxit multorum subiectio in potestatem aliorum, quæ servitus plurimus in locis Ægyptiacâ servitute major esse videtur.

14. Ad Contractus Onerosos pertinet & *Mutuum*, cum res accipitur gratuito in eodem genere denuò reddenda, seu, *Mutuum* est Contractus, in quo illa, quæ *pondere, numero, mensurâ* constant, gratuito ab illo accipis, ita ut ei reddas, non idem individuum; sed æquivalens.

15. Res quæ mutuò dantur sunt usu consumptibiles, quæ consistunt in *pondere*, ut Aurum, Argentum, Ferrum, *Æs*, *Exod. 3: 22. 1 Reg. 6: 5.* in *numero*, ut pecunia, *Neb. 5: 4.* in *mensurâ*, ut vinum, oleum, *Luc. 16: 6.* triticum, *Neb. 5: 2. 3.* panis, *Luc. 11: 5.* vestes, *Exod. 3: 22. 5.*

16. Differt Mutuum à Commodato, quia in mutuo redditur genus: hoc est, non idem individuum; sed æquivalens: seu, traditur res alicui ad usum, ut is post temporis spatium, tantundem ejusdem rationis & qualitatis, seu ejusdem speciei & bonitatis restituat: In Commodato verò redditur species: id est, idem individuum, Néque confundatur cum *Emphyteusi*; nam *Emphyteusis* respicit solum s. Agrum: id est, res immobiles: Mutuum verò tum res immobiles tum res mobiles respicere potest. Divina Lex jubet ut mutuum dêmus Proximo, etiam inimico auxilio egenti, gratuito: hoc est, absque alicujus lucri exactione & captatione, aut doni acceptione; hoc enim unicum est ex illis, quæ discernunt verè pios, ab illis qui peccato dediti sunt, *Luc. 6: 34.*

17. Con-

17. Contra hæc delinquit *Fœnerator* ac *Usurarius*, qui, cum Proximo egenti succurrere deberet, usuram propriam sibi quærit, & miserâs navfragii reliquias, nimium in genus humanum sævus colligit.

18. Debemus hinc excludere lucrum, quod ex alio Titulo accipi potest: Ut in compensationem *Damni Emergentis* vel *Lucri Cessantis*, &c. Cujus generis lucrum vocari potest & solet *Quod Interest*, & ab *Usura* ac *Fœnore* distinguitur.

19. Quippe alia videtur causa esse ejus, qui mutuum egenti erogat, non ut se à malis imminetibus liberet, sed ut negotietur, & non contemnendum ex commodato quærat manipulum: Et ejus qui inops, egenus, oppressus in carcere hærens, à crudeli debitore cruciatus, mutuum efflagitat: Nam tunc illi gratis debet exhiberi misericordia, vel saltem sine scœnore & usurâ mutuum.

20. Mutuo potest annumerari *Cambium*, quod est cum pecunia pro pecunia commutatur, ut cum damus Ducatos pro Ducatonibus s. Philippicis: Vel Imperiales *Joachimicos* pro Solidis s. Selinis aut Stiferis.

21. Contractus alius dicitur Societatis, qui est Communio consensu suscepta. Estque duplex: vel *VITÆ*, quam uno verbo Nuptias s. Matrimonium vocamus; vel Bonorum, quæ verbo generis in Usu Juris Societas vocatur; de quâ solâ hic agitur, quam esse dico: justam ac honestam lucri & damni communicationem ex consensu factam.

V 3

22. Ad

22. Ad talem Societatem requiritur, ut æquales sint partes in lucro & damno, ratione fortis spectata à singulis collata: adeò ut is plus lucri referat, qui plus aut Pecuniæ au Industriæ, contulit: quia eo pacto cuique redditur, quod ei debitum est.

23. Deinde ut damnum etiam commune sit & æqualiter inter socios dividatur: quamvis sæpè contingat, ut unus Pecuniam & alter Industriam duntaxat conferat. Quia sæpè Industria alicujus, pro pecunia valet. Itaque animadvertendum est quibus conditionibus initio inter se pacti sint, & quomodò de partibus lucris & damni fuerit nominatim conventum.

24. *Arrhabo S. Arba, Arra, Pignus*, pro re & occasione natis, potest in omni Contractu Oneroso adhiberi: Arrhabo autem apud *Ætos*, est res quæ alicui datur, vel quam aliquis accipit, ut sit *Symbolum*, quò certus & securus fiat se accepturum quod promittitur quam accipiens in eadem specie suo tempore reddere debet.

*Sectio XXVIII. De Modis, quibus contracta Civium Obligatio ex Pactis, solvitur.*

1. **O**bligacionem cum *Justiniano* dicebam *Secl. XXIV. §. 1.* Juris esse vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ. Sed quòd Jura non præmonstraveram; nec etiam Civitatem in qua Jus vigere debet edocueram, hæc verba Justiniani n. *Secundum nostræ Civitatis Jura.* subtricueram; ex hæctenus dictis L. B. præ-

præcedentibus adjungat, & quomodò solvatur ex sequentibus animadvertat.

2. Obligatio hæc multifariam solvitur: *Expedite & naturaliter per solutionem sive Expletionem tollitur*, & per eam officia inde resultantia pereunt, definitque Actio quæ quis antea tenebatur. Nec est necesse ut semper debitor creditori per se satisfaciatur, satis est si per alium sub ejus persona, vel invito, fortè, vel incio ipso, solvatur obligatio & præstatio fiat, aut per delegatum suum debitum absolvat, tantummodò Actionem auctoritative tenens preëmptorie contentetur.

3. Obligationem solvit & *Debitori Remissio f. Donatio*, quæ fieri solet per *Acceptilationem*: id est, Solutionem imaginariam, signis adhibitis consensum indicantibus: Mos est Græcicus; postquam enim apud Græcos Creditor talia verba dicere patiebatur. *Tot denarios acceptos habes?* Creditor redditis chirographis respondebat: *Acceptos habeo.* Solutum erat ex omni parte.

4. *Compensatio* ipsa absolvit Obligationem scilicet cum ipse Creditor Debitori suo tenetur Bono tanti valoris, quanti Debitor ipse. *Remittis? Remitto: Jam sumus ergo pares.* Exceptio in Judiciis, quæ unus quisque Creditorem suum eundemque Debitorem summovet in Compensationem recepta est: Debitum enim cum Debito, Delictum cum Delicto, Dolus cum Dolo compensantur, & id quidem iustissime, nam *nostra interest potius non solvere, quam solutum repetere*, tenor Legis est.

5. *Necessitate* premente tollitur Obligatio: ut

si *Titus Miles*, *Mavio* Militi 100. flor. obligetur, utrisque pro tempore captis, in *Tartariam* delatis, ibique incaptivatis, Debitor *Mavio* in extrema necessitate, Creditori *Tutio* simili necessitate laboranti non debet 100. nisi lapsu temporis convaluerint, aliterque se habuerint; In extrema enim Necessitate omnia sunt communia, unde invaluit dictum: *Necessitas omnia experiri cogit.*

6. Solvitur Obligatio *Novatione*: ut si *Mavio* obligetur *Sejus*, qui stipulatur à *Cajo* per solutionem debiti sui *Mavio*. Videmus hic novam personam intervenire, unde, veteribus præteritis nova debent fieri omnia: id est, primâ Obligatione sublata nova debet nasci Obligatio, istâ in hanc translata. Non autem necessarium est ut posterior stipulatio valeat; immò si inutilis esset, non propterea minus prima Novationis Jure tolleretur: *Cajus* obligatur, *Sejus* liberè versatur.

7. *Contraria Voluntas* dissolvit ex consensu contractam Obligationem: veluti si *Nicolaus* & *Elias* inter se convenerint, ut *Nicolaus* vineam mille florenis haberet, vineâ non traditâ, nec pretio perfoluto contingat ut placeat ab Emptione descedere & Venditione cessare, nulla supererit Obligatio; ei enim contraventum est. Hoc in omnibus contractibus per consensum firmatis, præsertim in Societate locum obtinere potest.

8. *Fidei violatio* discindit potius quàm solvit Obligationem. Quippe cum Contractus sit Communicatio Boni ex Pacto seu Conventionem obligan-

gante, ubi contractum mutuum æqualiter paciscentes præstare tenentur.

9. *Fidei fragus* Actionem abruptit: quia *Fidei* nostræ Exhibitio alterius *Fidem* præsupponit, & hæc ad illam per modum conditionis se habet. Exequutioni mancipabo quodâ me ploras, & si *fidei* stabo, modò quæ tecum pactus sum inviolabiliter serves, aut efficias.

10. *Morte* expirat Obligatio, si tantum inter duo Contractus aut Pactum factum fuerit. Nisi fortè pietatis officio ob alia motiva defuncti Obligationes hæres in se suscipiat: aut ex bonis quæ per expirationem Testatoris sibi acquisivit, ipsùmque locupletavit, satisfacere Creditori tenetur, & non nisi sub ea conditione hæres constitutus est, aut opum vis & ratio hoc postulet. Sed pluribus hanc rem persequi Doctorum est Politicorum, quibus multa alia in hoc loco inculcanda sunt.

### Sectio. XXIX. De Specialibus Hominum in Civitate Muneribus.

1. **M**Unera Civium in Genere, erga Magistratus s. Majestates in Civitate, erga Civitatem ipsam, & Concives absolvimus & ad umbilicum perduximus. Restat ut Munera quòque Specialia edisseramus, quæ fluunt ex Specialibus Officiis prout unicuique quædam appropriata sunt, inter quæ debet excellere Generalius hocce: *Ne aliquis Publicum aliquod Officium anhelet, cui imparem se cognoscit.* Noscat quid valeant hu-

meri, quid ferre recusent: Credere enim se esse Sapientem primus ad Stultitiam gradus, proximus est profiteri. O quàm scœpissimè contra hoc muneris erratur! Venit Juvenis rudis & indoctus ad Templum divini illius ordinis vibex atque macula, Præceptores illum laudant, merita prædicant, celebrant seu amore seu errore: Tumor ille, vulgus stupet, plaudunt affines & amici: Ipse jussus in cathedram scandit, cuncta jam ex alto despiciens & nescio confusum murmurans; disciplinamque suam, ostentationem Scientiæ non Legem VITÆ eboans, tunc Majores certatim ceu divina loquutum laudibus ad cælum tollunt, tinniunt interim campanæ, cantant organa, figuntur oscula: His peractis descendit Sapiens, qui Stultus adscenderat. Mira profectò Metamorphosis nec Ovidio cognita. Sic arripiunt hodie plurimi divina munera, sicque ludit in divinis humana sapientiola rebus. Sed responsas: Ultrò officium offertur. Quid tum, an quis ab aliis melius, quàm à se ipso cognoscitur? Quomodò Chirurgiæ ignarus operationes unde aliorum VITA pendet tentabit? Quomodò Nauticæ expers Mercatores per Maria deducendos suscipiet? A cæco cæcis via monstranda non est, & qui suâ præsumptione cæteris fuit exitio, ruinæ communis reatum in se trahit. Noseat qui immeritò rerum fastigia capessit: Nullum simulatum posse fieri diuturnum:

*Nulla diu simulatio durat:*

*Agnina sub pelle latens vulpecula tandem*

*Proditur indicii propriis.*

Si-

Simulatum perpetuò latere non potest, aliquandò erumpat oportet, quod ubifactum est simul & semel evanescet omnis ille magnificus gloriæ fumus, atque etiam in fabulam verteretur *Bathylus. Sect. XVII. §. 4.* exempla habemus innumera: (Mitto exempla divini ordinis, pro communi Propositione utar Politicis iisque veteribus.) I. In Fratre Magi *Petazitha*, quem *Petazithes* pro *Smerde* Cyri filio & *Cambyfis* fratre, nomine & corporis similitudine ferè per omnia similem *Smerdi* necato, in Regem Persarum creaverat, iisque receptus tanquàm verus *Smerdis*, regno potitus est, & Rex à Populo salutatus, primò quidem ejus poma natarunt, ipsùmque virum præstitit in Liberalitatis erga Populum declaratione; verùm septimo mense, *Phædmie* pellicis suæ astu, velut Rex effœminatus agnoscitur, postea quisnam esset detectus ut *Pseudo-Smerdis* obtruncatur, & sic ejus persona, Regia Majestate indigna, ludibrio exponitur. *Herodot. l. 3. Justinus Gregor. Tholosan. l. 7. de Rep. C. 18. p. 498.* II. In *Pseudo-Nerone*, quem ex Ponto fuisse scribit *Tacit. l. 18. p. 587.* oris lineamenti *Neroni* simili, citharà & cantu perito, Adolescente conditionis incertæ, qui se *Neronem* esse jactabat, qui tam favorabili nomine apud Parthos potitus est, ut vehementer adjutus vix redditus sit, tandem dolo & indignitate ejus compertis, ab *Orhone* supplicio afficitur, uti refert *Xiphilinus* ex *Dione in Orhone*: vel à *Calphurnio Asprenate* monente saltem *Orhone*. *Cuspinianus in Vita Neronis p. 26.* III. In *Pseudo-Sebastiano* Rege Por-

tu-

*rugallie*, qui tanto artificio *Sebastianum* fingebat, ut multos Portugallenses occaecaverit & cum, ipsum esse *Sebastianum* revera crederent: fuit sane insignis Impostor; verum, à copiis *Abdelmeleci* Regis *Fessani* funditur, tandem velut impostor Regiminis ad triremes damnatur. *Bucholox* in *Chronolog.* p. 765. Ut *Propalum Pseudo-Alexandrum*, quasi ab *Antiocho* Rege genitum, ante, sortis extremæ Juvenem, *Demetrii Nicanoris* occisorem taceam, qui totius ferme Orientis viribus succinctus Bellum *Demetrio* intulit, vicit, eumque Regno & VITA spoliavit, tandem oblitus pristinae sortis infimæ, scortator factus maximus, à *Demetrii* filio, *Demetrio*, assistentibus *Antiochensibus*, prælio invaditur, funditur, indignus Rege, dolosus declaratur, & pœnas dat *Demetrio*, quem occiderat, & *Antiocho* cujus originem mentitus erat, non minori impetu Fortunæ desertus, quàm indignè elatus, diem propudiosum obiit. *Tholosanus* 7. de Rep. C. 18. p. 499. Itaque:

2. Munera V. D. Ministrorum sunt, ut instar speculorum se habeant, VITAM innoxiam traducant & cum sanctâ Gravitate inter suos convergentur: Muneris sui memores divinam gratiam assidue implorent, ut ipsos ad Veritatis cognitionem deducat: Non magis Rationi suæ vel Industriæ innitantur, quàm Virtuti subjectivæ Jesu Christi; secus enim rarò & tardè erunt homines illuminati. *Kempis Lib. 1. Cap. XIV. de Imit. Christi*, §. 3. p. m. 57. Os Veritatis per *D. Jacobum* Cap. 1. §. 6. dicit: Quòd si cui vestrum deest

est Sapiëntia petito à Deo qui dat eam omnibus benignè nec exprobrat, & dabitur ei: Sed postulet cum fide, nihil ambigens: nam qui ambigit, similis est fluctui maris, qui ventis agitur & jaçtatur. Nam ab ipso & per ipsum sunt omnia ipsi Gloria in Eternum Amen. *Rom. 11: 36.* Et sanè multò nobilior est illa doctrina, quæ de fursum ex divina influentia manat; quàm quæ laboriosè humano acquiritur ingenio.

3. Hoc tempore Ecclesia vocat V. D. Ministros, quibus huic muneri necessaria non potest conferre, nec etiam potest Deo præscribere, ut in hunc vel illum conferat dona ad ministerium necessaria.

4. Plus quidem confert Oratio, quàm humana Industria; tamen nec ratio tua penitus debet denegari; nam non sicut Extraordinarii Ministri, sic etiam Ordinarii per ipsam vocationem reduntur apti cum antea fuerunt inepti: Certè Prophetas & Apostolos indoctos, Dei vocatio fecit doctos; sed te vel illum vocatio Ecclesiæ non facit doctum. Orandum itaque & Laborandum in Domino, quia Nox venit.

5. Nec debent esse Simiæ aliorum: hoc est, I. *Gesticulatores*: q. d. Gestuum artificialium & fictorum Simiæ; sunt enim *Gestus* isti artificiales *Nugæ Penales* & *Concionum Assula* inutiles. Quod Tituli à Rev. ac Cl. Viro, D. *Paulo Szenci*, Ecclesiæ *Debrecinensis* V. D. M. Zelosissimo, ejusdemque Tractûs Ecclesiarum Inspectore Vigilantissimo, Viro meis commodis intentissimo, in familiari colloquio exceptum libenter ample-

xus-sum, & multis occasionibus inculcatum animo volvere volupe mihi duxi. Quid juvat vanis istis degeneris *Abſchaloniſ* cymbaliſ, & ſuperbientis animi *Herodiſ Agrippæ* crepitaculiſ tam improbo indulgere animo? Sæpè enim contingit ut adhibitiſ curioſiſ, artificialibuſ vaniſ iſtiſ *Geſtibuſ* materia Concioniſ noſ derelinquat: Exempliſ tam vivorum quàm mortuorum veritatem aſſertionis illuſtrare ritè valerem; ſed pronuſ ipſe modeſtiæ vim facere geſtio. Reſ notaſ loquar: Quantum quiſ fecerit, cum pernecie & exitio ſui plebecula quærit; ſed ex quanta Virtute agit non tam ſtudioſè penſat. Si fuerit Fortiſ, Diveſ, Pulcer, Habiſ, vel Bonuſ Scriptor, Bonuſ Cantor, Bonuſ Laborator, Voce *Stenor*, Elatuſ Geſticulator, inveſtigat, quàm Paupeſ ſit Spiritu, quàm Patiens, & Mitis, quàm Devotuſ & Internuſ plerumque tardè trutinat; immò multoties tacet & poſthabet. *Natura* exteriora hominiſ reſpicit: Sed reverà *Gratia* ad interiora ſe convertit. *Illa* frequenter fallicitur, *Iſta* in Deo ſperat, ut non decipiatur. Et ſanè ex puro corde procedit fructuſ Bonæ VITÆ, *Matth.* 12: 35. Animuſ *Iſraëliarum* poterat ſuffurari *Abſchalom*, 2 *Sam.* 15: 6. non tamen valuit perplexam quercum magnam ſubterfugere, de qua comâ tenuſ ſuſpenſuſ tribuſ teliſ virulentis *Joabi* & decem ejuſdem armigerorum puerorum lethali percuffioni ad ultimam uſque vale, factuſ eſt obnoxioſuſ, 2 *Sam.* 18: 9. 10. 14. 15. *Herodeſ Agrippa* indutuſ veſte Regiâ, ſplendidâ, ſuperbâ, & ſedenuſ pro tribunali, Geſticationibuſ ſuperbiſ & inauditâ parrheſiâ Concio-

na-

nabatur *Παῖς αὐτοῦ* ad eoſ: hoc eſt, ad *Tyriuſ, Sidonioſ* addita *Plebe*. Populo exclamante, *Vocem Dei & non Hominiſ eſſe*: Conſeſtim tamen percuffit eum Angeluſ Domini, eò quòd non tribuiſſet Gloriam Deo, verum ventroſa *Plebiſ* ſuffragia venatuſ eſſet: Unde, eroſuſ à vermiſ, exanimatuſ eſt, *Act.* 12: 20. 21. 22. 23. Multi ſunt & V. D. M. qui meditantur ferè dieſ & nocteſ, ut efficiant ea, quæ *Populo* ſuo grata eſſe noverunt. Exequuntur magnâ ſedulitate, quæcùnque ipſum velle percipiunt: atque ubi jam Civili Fidelitate & Vanâ Officioſitate eidem inſerviverunt & benevolentiam ejuſ ſunt conſequuti, nihil aliud ſibi ipſiſ compararunt niſi exiguam mercedem temporariam, proptereâ quòd cum Angelo Eccleſiæ *Laodiceſiſ* duobuſ Dominiſ ſervire tepidi cogitârunt. *Conf.* 5. 14. Erat quondam Servuſ aliquiſ, qui fideliter miniſtraverat Principi cuiſdam, aded ut hic ſamulatuſ ejuſ planè eſſet contentuſ, ac proptereâ eidem polliceretur cuncta quæ expeteret. Incidebat Servuſ longo poſt hanc promiſſionem tempore in morbuſ & deploratâ propemodum erat ſalutiſ. Quum autem in extremiſ ſeſe veſari ſentiret, à Principe ſuo ut inviſeretur, ſummoperè rogabat, qui lecto ægri appropinquans, quærebat ab ipſo, ecquid deſideraret? Servuſ petebat, ut morte depuſtâ, aliquot adhuc annorum VITÆ ſibi indulgeretur. Cui reſpondebat Dominuſ, Hoc non eſſe in poteſtate ſua, ipſumque aliud quicquàm rogare debere. Ille igitur poſitu-

stulabat VITAM unius anni, aut mensis, vel denique unius solum diei. Verum pergebat Princeps, Se neutiquam posse ipsi rem optatam impertire, utpote quæ extra suam potestatem esset, ipsum autem debere petere, quæ homo homini tribuere posset, ut, Argentum, Functionem muneris, Pharmaca & similia. Sed inquiebat Servus, se haud indigere Argento, aut Munere, aut Medicamentis, néque abhis VITAM suam unicâ horâ posse reddi longiorem, se verò petere certitudinem salutis suæ, dum VITA prolongari à Principe nequeat; quo sic saltem diem suum tranquillè obire possit, certus beatæ mortis ac æternæ salutis. Huiusmodi verò petitio contristabat Principem, qui ægro asseverabat, Salutem ipsius pendere à Dei Gratia, ac proinde se minimè posse ipsi eandem promittere, multò minus largiri, animo volvens Princeps Servi indefessam sedulitatem circa munera à Principe ipso Servi curæ concredita, & multum jejune negotia fidei, propter assiduas rerum præteritoriarum curas, curasse. Hoc audito & percepto perturbatus æger, avertebat vultum suum à Principe versus parietem, dicens: *O miser ego! siccine totum VITÆ meæ tempus traduxi, serviendo nutibus Domini, cui haut est facultas mihi succurrendi in maxima necessitate mea, quique ne unicam quidem VITÆ horam mihi impertire valet. Nolo tam impotenti Hero tam sedulo ministrare amplius.* Atque hoc animo decernens votum faciebat Deo, *Se recuperatâ divino ejusdem beneficio*

*ficio sanitate suâ, talem VITAM victurum, quâ soli Deo servire, ut suâ, ita Proximorum animæ perfectioni prospicere queat, deditus Hero infinitæ potentie, qui VITAM & salutem ipsi tribuere valeat.* Hoc itaque votum reverâ persolvebat; nam postquàm Deus ipsi sanitatem reddiderat se totum Deo devotebat dimittendo omnia ut inveniret omnia brevè & consummatum Dei verbum tenebat, ut reperiret requiem cupiditatem relinquebat pièque vivebat, donec beatâ morte animam Deo redderet. Veritatem historiæ constanter asserit *D. S. J. V. viz. D. Ant. B.* Quapropter optandum esset, ut multorum mentem, quos materia tangit, hæc historia illustraret, ad dignoscendam mortalium cæcitatem, qui nulli rei parant in servitio mundi; sed lubenti animo curas & labores suos impendunt, ad aucupandam tantummodò sui similitudinem gratiam, mundi inanitatis, aut tantillum boni terreni lucrifaciendum. Scilicet cujusvis generis occasiones expiscatur Satanas, quò nosprehendat: Unde, ni studiosè eaverimus, nullum proferemus verbum, nec ullam exequemur actionem, quin ejusdem caliditate in peccatum inducamur etiam haut sentientes. Etenim ipse facere solet ut eloquamur, nec non ipso nutu, signis, *Gestibus* vanis, proponamus ea, quæ reticere debebamus, & silentio involvamus aut ipso nutu, signis, *Gestibus* artificialibus saltem exponamus, quæ efari maximè oportebat, quò inde commodam suarum technarum elicit Satanas, ac in omni-

bus excitatâ confusione nos in vitium detrudit, aliisve per nos idem aspergit. Incumbendum igitur ut exactâ diligentia cunctis actionibus nostris invigilemus, quò vincamus Satanæ technas in *Simplicitate*, ac veram Virtutem assequamur in *Humilitate*. Quid quod per Ministerium Apostolorum jejnantium: hoc est, seiplos abnegantium & omnes cupiditates mundanas abdicantium, vana vanis dimittentium, *Act. 13: 2.* coll. *Act. 12: 24.* Sermo Domini crescebat & multiplicabatur. Erit reverà ut pereat omne id rotum, quod non est ex Deo ortum. Non tamen *Gestus* ad devotionem castigatos in Concionando improbamus; habent enim usum non contemnendum in exprimendis animi sensibus, & devotè adhibiti abripiunt quasi Auditorum animos à cogitationibus rebus mundanis indulgere meditantibus; Sed detestamur abusum superbiæ surculum, quem *Gestus* ficti & artificiales plerumque gummant. Animadvertere unicuique facillimum est, quemlibet ex talibus *Gesticulatoribus*, laboris & diligentiae plurimum impendere ad acquirendum paucillum Argenti vel Hominum Favoris; licet longè verissimum sit Argentum, Homines & eorum Favores, nihil solidi nobis imperire posse; immò instante fato nos deferere, nec esse auxilia potestate prædita concedendi nobis unicam VITÆ horam, ut ex exemplo superiùs allato luculenter patet. II. V. D. M. non debent esse Linguarum expertes, viz, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ, præsertim hujus, propter facilius studiorum emolumentum, cui in

in nonnullis Imperiis videtur æmulari Gallica. III. Non etiam debent esse *Legere* tantum *Videntes* & ex præscripto aliorum concionum memoriales *Recitatores*. Nam s. donum legendi & memoriter recitandi non est donum ministerii; sed donum Sapientiæ & Cognitionis, *1 Cor. 12: 8.* 6. 2. Ministri debent necessariò facultatem habere, applicandi verbum Dei, secundum diversitatem Auditorum, Temporum, Locorum, & aliarum Circumstantiarum, cum illa varietate, quam occasiones variæ requirunt, *2 Tim. 2: 15.* hoc autem legendo vel recitando ex alterius præscripto facere non potest V. D. M.

7. 1. Debent etiam parati esse rationem reddere eorum quæ docent cuilibet postulanti & convincere contradicentes, *Tit. 1: 9.* quod legendo & recitando non potest præstari.

8. 7. Debent Ecclesiæ pære in iis donis, quæ ab omnibus fidelibus sunt affectanda & quærenda, *1 Tim. 4: 13. 14.* &c. sed omnes fideles debent cōniti ut sermo Domini in ipsis habitet copiosè, *Col. 3: 16.*

9. 7. Nemo potest vel *Advocati* vel *Medici* munus tueri, formulas præscriptas recitando: Ministri autem sunt & *Advocati* & *Medici* spirituales. Ex quibus consequitur V. D. Ministros instructos debere esse a. Integritate VITÆ tali, ut non tantum scandalo careant; sed & testimonium habeant bonum, *1 Tim. 3: 7.* per testimonium autem intelligo illam fidem, quam fecerunt hominibus de sua integritate per conversationem honestam & piam.

10. 8. Doctrinæ Christianæ notitiâ, sive peritiâ

titia supra fidelium vulgus, 2 *Tim.* 3: 16. ad quam etiam accedere debet intelligentia eorum, quæ pertinent ad suum officium in Ecclesia gubernanda, 1 *Tim.* 3: 16.

II. 7. Dexteritate aliquâ docendi, five aliis communicandi notitiam illam, quam habent, 1 *Tim.* 3: 2. 2 *Tim.* 2: 2.

12. 3. Voluntate aliquâ paratâ ad ministerium suscipiendum & exsequendum, quæ Voluntas oriri debet, non ex Inopia, prout *desperatio & necessitas faciunt Monachum*, aut similis incommodi metu, vel ex Ambitione & Cupiditate Superioritatis, Famæ, Contentionis & Discordiarum aut Lucri & similibus, 1 *Petr.* 5: 7. hæc enim Voluntas est aliquomodo irregularis & non propriè ac directè fertur in opus Ministerii; sed ex Amore & Zelo puro, *Joh.* 2: 1, 15, 16, 17. Quædam hæc complexus sum 1. *Voluntatem nobilem & spontaneam.* 2. *Non ex inopia ortam.* 3. *Non ex aliquo incommodo incusam.* 4. *Voluntatem sine auiditate Superioritatis, Famæ, &c.* 5. *Voluntatem extra Discordias sitam.* 6. *Voluntatem extra animum ditectendi promptam.* Nobis etiam in sequentibus bonâ fide agendum est, absit à simplicitate nostra voluntas satyram in Bonos conficiendi, sicque industriam nostram nobilitandi: perindè quasi ordinem aliquem traducere, id demum esset ingenio uti. Sed tamen ut finis à suspicione liberi, utamur verbis *Diva Sophie & Batavi* ficti apud *D. Cunaum* in *Menippo*. Unde, Speculemur quid redundare queat in morem quorundam. Loquitur *Batavus p. m.*

99. & seqq. VITAM atque MORES quorundam V. D. Ministrorum narrare libet, neque verebor tam horrible secretum proferre in medium, cum ipsi soli inter se sibi non parcant, quæcunque plebejo sermone scripsere, tonforibus & lippis, pueris omnibus ancillisque à furno & lacu redeuntibus, cupiunt esse notissima. Infelici medius fidius seculo vivimus, si dicta scriptaque mea in eruditorum manibus dolent, sua autem ipsi acerrima dicta à proletaria multitudine legi de plano, non indignantur, & ipsi omnibus vitiis pleni, exempla se inutilis disciplinæ circumferant. Loquar igitur, absit ut ignota; sed quæ in sacellis nostris vidi, & quorum pars magna cum dolore fui. Equidem quotiens conciliabula eorum obivi, non aliam quàm in ludo gladiatorio VITAM cernere videbar. Adfunt unâ in iisdem templis, colloquuntur, res omnes simul administrant, mox alter in alterum levi compendio ducitur. Fingite ex hoc ignobili genere aliquot terræ filios, *Et conjuratos cælum rescindere FRATRES*, in re dubia & bevi à se invicem dissentire: statim eos mala mens, furorque vecors in simulates, bacchationes & scenica maledicta aget, ita ut, in procacissimo sermone tam discordes vultus, numerare equidem inter monstra inciperemus; adeo enim tristis severitas adesse consuevit, ut facilius ignem ex hominibus exprimi posse speraremus, quàm risum. Velitis, nolitis D. M. aliter hæc sacra non constant. Propria illius ordinis virtus est, animo feroci esse, in omnes incurfare,

curfate, neminem metuere. Sed maxime AMBITIO animos eorum versat: eâ, res cunctas non ex bono honestoque, sed ex libidine agere; speciosis nominibus pium sanctumque studium simulare, cæterum re ipsâ privatam gloriam quarere, edocet. Ite nunc, D. M. & qui mansuetudinem, modestiam, fidem, vilia habent, eos esse viros bonos dicite. Multis officiis eares, magnisque laudibus continetur. Nèque continuò hoc nomen, qui ad legem boni sunt, meruere. Nimis angustis finibus hæc circumscripta est innocentia, faciant quæ humanitas, quæ VITA communis exigit, faciant quicquid extra tabulas publicas est, & boni viri per me quidem, sunt. Sæpè ego, in eodem ordine dum fui; quoniam me collegarum pigebat, de pravis illorum artibus, deque mala libidine quæstus sum. Pro qua re multa acerba atque indigna tuli. Nèque id mihi uni contigit: Qui enim cunque aliquâ laude excellenter, aut cogitatione eminent supra turbam, eorum vividam animi vim, rectosque Spiritus frangere conabantur: Sive quòd in alio sua quémque natura delectat, sive ne studium omne vulgi ab indignis & non idoneis ad dignos & idoneos transferretur. *Proh dolor!* Omnia latè homines inquieti CONTENTIOSI QUE tenent, qui haut me sanè, ait *Divæ Sophia, p. m. 80. & seqq.* sed pellices meas secuti, sacra nostra religionisque jocum & risum fecere. Quamvis multum caliginis res divinæ habeant, sanctiusque sit & reverentius de iis cre-

credere, quàm scire; tamen magistri rudes & indocti ea, etsi nondum satis exploratè percepta & cognita, velut certa affirmant: *Hinc Jocus, unde Risus.* Verum dico, quòd apud eos meorum institutorum nec volam, nec vestigium reperio. Plerique enim primis annis *Tonjores Fabrique*, & *surina alumni* sunt, aut denique *servilibus officiis intenti*; in obscuro VITAM agunt, ibi ADOLESCENTIAM suam exercent. Post ubi Sacerdotes meos, ceremoniarumque antistites esse in magno honore cernunt, (nam assurgit iis populus, increpantes metui, dicto cuncti audientes sunt) rati scilicet, id quod res est, longè hoc pulcerrimum esse, ad similem dominatum maximâ opè nituntur. Rem memorabo, ex qua facile consilia eorum æstimetis D. M. Nuper ex his quidam patres conscripti (credo obscuræ originis suæ memores & quòd nihil ulquàm ingenuum occurrere vellent) decretum inter se fecere, uti qui de plebe hominum essent, quique precario VITAM, munificentia divitum in studiis disciplinarum egissent, iis ad munera, honoresque sacros primus aditus foret: cæteri post illos admitterentur. Profectò hoc verè est ceremoniarum majestatem & sanctimoniam protituere. Etenim homines EGENI, non qui idonei censebantur, sed quorum misertum est, sapientiam velut aliquod artificium venale addiscunt, & jam semidocti, cruda adhuc studia propellunt in templa. Benè habet, D. M. tandem effectum est, uti in luce hominum vivant.

Jam multorum opinione beati sunt; nisi quòd nondum sunt suâ; tamen ducunt uxores plerique, uti tantarum rerum consortes sint, tollendi liberi, in spem esuritionis. Et profectò huic generi quâdam fati lege, hæc facilitas data: blandissimam vim, quæ dis hominibusque per pectora incutitur, multò citiùs, quàm cetera gens mortalium, sentiunt. Sæpè illud clamavi, ait *Batavus p. 107.* sufflaminandi estis: in furias ignemque ruitis; sed frustra fui: fermè enim, antequàm pueri esse desissent, mariti erant, & infirmis adhuc annis gerebant,

*Prelia conjugibus loquenda.*

Tanti putant, nihil sibi negare, uti intempestivè multi præcipitent virum, &

*Animas in vulnere ponant.*

Hac in parte hîc subsistimus, Rei ingenia sua advocent, & quid cuique aptari possit, curiosè speculentur. Nobis pergendum ad sequentia:

13. Omnium maximè debent invigilare V. D. Ministri, ne culpa quam arguunt, ipsos redarguat, Dei Minister enim, omnia ista, quæ ædificavit per annum, aut in curriculo VITÆ, actu uno exorbitante & cauteriato, in momento perdere potest: Hinc est quòd dicatur: *Qui proficit in Literis; sed deficit in Moribus plus deficiat quàm proficiat.* Incumbendum igitur, ut non solum vivæ vocis præconio: sed etiam innocentis VITÆ testimonio, Auditoribus suis præfint; & quidem è re q. d. ex asse & à proposito, non ex hypocrisi: Scimus enim quàm facile istud sit,

sit, obstipo capite incedere, sententias aliquot ingenti verborum volubilitate fundere, vultum tristem & severum & alias hujuscemodi larvas, quæ promittunt magnam sapientiam, inducere. Ad hæc fingenda non nati, sed ab aliquo Deo facti videntur nonnulli, quippe insitum illis est, quantò magis falsa sunt, quæ sunt, tantò plura facere. Adeò nihil est, quod ars & labor efficere nequeat, cum etiam naturam rem simplicissimam, superet affectatio. Igitur primum imperitæ plebi illudunt, apud quam summa securitate, & ingentibus præmiis peccatur, hanc curis vacuam, sine veri fallique discrimine in veste & habitu stupentem blandâ oratione trahunt in omnem partem. Sedet circumfusa multitudo, atque aures, ceu flabellum, adducit, ducitque, & quicquid audit probat. Magnum est hoc, quod in rebus talium est positum, inane. In quamcùnque nos partem vertemus, occurrerit nobis *Pergula pistorum*, veri nihil, omnia falsa. Quicquid scire se autumant, minus nihilo est, hoc unum certum est, pleræque haut esse certa; quoniam videntur niti astutiâ Politicâ, ne dicam, hypocriticâ. Hîc Sophiæ nemo vigilantiam, laborem, indefessum doctrinæ studium expectet; gravia hæc sunt, & viris talibus relinquenda. Benè habet! Ipsi breviori viâ, dolis atque altu contendunt.

14. Turpe sanè & abominabile est in suggestu alicui de pudore & continentia aliquid præcipere, & eundem in omnium libidinum cupiditatibus vivere: disciplinamque suam ostentationem,

tionem suæ scientiæ non Legem VITÆ putare. Multos hodie videre licet procul omni dubio Ecclesiæ *Laodicensis* Angelos, pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum fervos, quos cum audimus in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, in iudicium sui putamus profectos, quod cum eorum VITA & Vitiis mirabiliter pugnet Oratio: Quosdam verò nec pudor Vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudinis suæ fingunt, ut etiam honestè peccare videantur: & sic implent requisita Ecclesiæ *Laodicensis* Angeli, ab Amen controversa & detestata: Vos novit aprius secundum opera testis ille fidelis & verax, principium opificii Dei neque frigidus esse neque fervidos, sed tepidos, unde certò futurum est, cum vos ex ore suo evomiturum esse, *Apoc.* 3: 16. Nam creditis & videtis vos divites & ditatos, adeoque felices esse & nullà re vos indigere. Nonne noscitis vos esse ærumnosos, & miserabiles, & pauperes, & cæcos, & nudos. Quid Sermo vester sine Veritate? Opera vestra sine Fide? Virtutes absque Eleemosyna? Tantum valetis, quantum Obsonium sine Sale, & Principium sine Fine. Quid vestrum Ingenium anile, Lingua fucata, Literæque pictæ aliud, quàm incus malleus & massa, quibus, vobis atque aliis invitis, velut fulminibus brutis somnum frangatis? Quid laudatio vestra super funeribus coram vestris auditoribus, quàm filomela furdus? Quid spectatoribus aurea vestra pyramis, quàm domus picta cæcis? Consilium dat vobis Amen, *Apoc.* 3: 14, 18. ut ematis ab illo

illo aurum igni exploratum, ut verè divites fiat, & vestimenta alba, ut induamini, nec manifesta fiat pudenda vestra nuditas, & inungite oculos vestros collyrio ut verè videatis, & noscatis vos ex hominibus esse assumptos, ut pro hominibus constitueremini in iis, quæ sunt ad Deum, ut veluti mediū & sequestri contra Dei Iustitiam in homines sævientem staretis ex adverso, sanctitatem velut murum æneum opposcentes. Eja evigiletis ex lethifero vanitatum mundanarum veterno, attolite in altum oculos, quærite & cognoscite factorem vestri & omnium, Deum vestrorum & omnium peccatorum individuum ultorem, supplicēsque veneremini, ut somnum inertie à vobis excutiat, somnum Dalila & deceptrices Sirenes removeat: Sanctorum infundendo scientiam & intelligentiam Sapientum, ut vigilantes intueri possitis in mirabilia Legis ejus: perficiat Virtutem suam in infirmitate vestra, sufficiat vires honori & oneri ferendo pares; pectus benè præparatum & à sceleribus immune indulgeat, & si dederit velle; det vobis & posse. Det denique ne quid aliud cogitetis & dicatis, aut faciat, quàm quod divini nominis sanctificationi servit: Sic enim futurum est, ut non sit labor vester inanis in Domino. Ecquis sufficiat nudis humanis viribus arduis illis rebus agendis? Quàm improbus labor V. D. Ministro suscipiendus, quàm accurata diligentia, quàm indefessa vigilantia adhibenda? Hic usurpandum illud *Jacobi*: Fui cum interdiu absumeret me æstus & gelu noctu; profugeretque somnus ab oculis meis, *Gen.* 31: 40. Hic adhibendum illud *Severi*

Im-

Imperatoris: *Laboremus*. Hic audiendum illud Salvatoris: *Vigilate & Orate*.

15. Proinde ut in Concionibus: ita in Orationibus verbis minus habentibus grandinis, plus ponderis, secundum istud *Sophoclis*: *Βελχία λογία πάλαι προσκείται σοφία*, uti debent. Quemadmodum enim nummismatis aestimatio & præstantia tantò major est, quantò in minore massa plus valoris continet: Sic Orationis illius vis & acumen majus est, quæ plurima paucis significat. Denique; quoniam sunt Jesu Christi Ovium Pastores, muros aeneos contra hujus mundi tribulationes & Satanæ machinationes se esse ostendant; In Evangelii simplicitate tuti, in Virtutibus tutandis immobiles persistant; Veritati semel ex professo cognita & perspecta ad ultimum VITÆ usque halitum, ne contradicant; sed suspiciant: Sux curæ & vigiliæ concreditæ plebi, Christum Veritatis nidum, patientiæ, tolerantia & humilitatis esse filium, exemplis suis probent & persuadeant. Dies hujus temporis parvos & malos, doloribus & angustis plenos esse exhibeant: ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus gravatur, deliciis enervatur, egestate cruciatur: Quæ tamen Militem Christianum in Deo taliter firmant, ut non sit ei necesse, multas humanas consolationes quærere: Quemadmodum enim purificat ignis ceu claris omnia flammis, à scoriis mundat

mundat generosa metalla profanis: Ità tribulationes eum clarificant, unde Deum sibi magis necessarium intelligit, sine quo nihil boni se posse deprehendit: Tales debent esse Milites Christiani omnes, maximè V. D. M. Huic unisoli toto nisu incumbentes, ut Veram Virtutem, quam hujus ævi homines minimè dignoscunt, quòd Virtutis simulacrum capiant pro Virtute ipsa reali: à Jesu Christo tum hoc: *Discite à me quòd ego mitis sim & humilis corde*, tum aliis salutaribus præceptis, nobis inculcatam, sedulitate sanctâ in cœtu Fidelium præclara in luce locent.

16. Munera *Professorum*, & quibus cæteros instruendi, edocendique onus incumbit, ut certis principiis innitantur, & quòd dies brevis sit & opus multum; doceant suos discipulos viâ brevi. Incipientes nec in prolixioribus, nec in gravioribus exerceant: alioquin enim vires vel citò flaccescunt, vel oneri planè succumbunt. Intendantque, ut nihil falli nihil erronei consultò in eos traducant.

17. Entia præter necessitatem, quod dicitur, ne multiplicent: hoc est, Multas regulas & inutilia precepta, quod plerumque inter *Logicos fieri consuevit*, ne excogitent, quæ cum naturæ ordine è diametro pugnant, quæque non possunt addisci nisi summo studio, maximâ industriâ & longo tempore, quæque discipulorum animos ridiculorum terminorum multitudine potius obruunt & obcecant quàm quòd iis faciem aliquam præberent in investigatione

rerum inque scientiis addiscendis, quæque vix ullam aliquam soliditatem & nihil præter inanem garrulitatem & vanam ostentationem docent; vix enim ullum problema ullave propositio fieri poterit, de quo Scholasticus, maxime consummatus Logicus, non gloriabitur se posse probabiliter disputare & differere in utramque partem, *pro & contra ut vocant*; Is enim talem, ut loquitur Rudolphus Agricola, fictus Frisius apud Cnaum in Satyra Menippea p. m. 62. qui subtilissimâ collectione alterum fallere didicit, Regem esse probabit, & actutum digito se cœlum tetigisse putabit. Solem illum Lunam esse evincet, & noctem, qui nunc est dies, & sic non verebitur propriam turptitudinem atque ignorantiam profiteri. Nullum enim validius datur argumentum, quo vanitas tricarum istarum artificialium clarius pateat, quam quod ope illarum vix aliquid tam certum possit statui, quin non simul in contrariam partem probabiliter adhuc possit disputari, & sanè quod ita subtilius & probabilius in utramque partem disputatur eò longius receditur à veritate ipsa, quæ unica atque simplex est, semper sibi constans & serio attendenti sit manifesta, nostrum assensum etiam inivitum cogit, & semel apprehensa non amplius permittit de se dubitare vel in contrariam partem probabiliter differere, & eodem ore calidum & frigidum spirare. Quis Professorum scientiam amplectetur, si solum problemata sunt & in æqua concertatione non habeat cui certò assensum præbeat?

18. Omnem doctrinam negligant, quæ nihil Reipublicæ frugis adfert & Sedis Majestati derogat, ne imitentur Aristippum *Supr. Sect. XI. §. 6. ibidem* Aristotelem in malis. Nulla ex ipsorum Professorum opinionibus Veritati, Societatisque tranquillitati adversetur, aut aliquid dissidii inter Cives procreet. Plurimis vicibus erratur contra hoc, maxime in turba Theologica: Multi enim sunt, ut ex consuetâ Sententia admodum Reverendi ac Clarissimi Viri D. Gerbrandi van Leeuwen S. S. Theol. D. Præceptoris & Evergetæ nostri æternum venerandi loquar, qui methodica, ex natura & ratione humana conscribunt Systemata; tantummodò possent & Scripturam Sacram conscribere ipsis similem, aut opinionibus suis accommodare. Hi moluntur opus arduum & incidunt in continuum Sisyphi insulsum & improficuum laborem; dignum reverà admiratione opus, in tantum superans captum humanum, ut permulti, itique Sapientes habiti hinc delirate comperiantur, & sapientissime secundum suam indaginem oneri opinionum exasciatarum succumbere deprehendantur: Tamen sequuntur cæcos duces imperitissimi quisque cæterique omnes, qui magnâ mercede nihil sapere didicerunt. Non possunt rectâ viâ ad sapientiam grassari: Oblitit enim euntibus officitque errantium multitudo, quodque pessimum est, plerique pereunt exemplis, præiudicio Medius fidius pessimo ducti. Hinc, *Proh dolor!* illa sunt lachrimæ. De rebus obscuris omnes, ceu de

certis, judicant, & ad quaecumque sunt sententiam, quasi tempestate, delati, ad eam, tanquam ad saxum, adhærescunt. Néque mihi satis consilii est vecordiam, an superbiam eam appellem. Nunquam enim perperam aliquid didicisse volunt videri, scilicet, quasi immane crimen foret, à cognito & damnato errore discedere & quæ mala alios dedocere. Quod semel dixerunt, quaecumque est, fixum ratumque manet. Ita, quod unum super est, pertinaciam induunt pro causa, regnumque sibi vi atque factionibus muniunt. Ad hoc, longè pessimum exitum, fecunda admodum res est falsa opinio, néque unquam illuc, unde cœpit, stat. Continuo enim, qui à vero declinant, in partes se scindunt varias; dissensionibusque pugnant, atque uno ex errore infiniti diversi omnes & contrarii nascuntur:

*Non mihi si lingua centum sint, oraque centum;  
Omnia sectarum percurrere nomina possim.*

Causa atque origo hinc inde penes Autores cuiusque est, qui superstitione captas mentes, velut furialibus stimulis agunt: Hinc studium partium, hinc rixæ, contentiones, odia diabolica, hæreses & persecutiones perfidæ & sanguinum effusiones illicitæ: Vah Hæresiarchas hominum fascinatores maleferiatos! putant se esse aliquid, unde suum disputandi pruritum faciunt Ecclesiæ scabiem, & suas opiniones varias præcipuorum Christianæ fidei arti-

ticulorum pestilentissimam gangrænam & carcinoma venenatum.

19. At enim qui Veritati & Pietati student, debent esse solliciti ut ne errent, alios ne seducant sub pallio Veritatis latente falsi vulpeculâ, ut tandem in die iudicii securi evadant cum beatis. Se mutuo, vel dictis, vel scriptis scommatibus, vanis illis & brutis Satanæ fulminibus, & illegitimis hujus mundi filorum delictis, non debent lacerare: verum Consiliis, exquisitâ Sapientiâ, & fraterno Amore juvare, ut mutuo meritis debitæque grates possint refundere, ut sic Spiritus Sapientiæ illos impleat, impleat oculis suis intus & extus fervore Zeli ignitis, ut indefessi invigilare possint gloriæ Domini operique officii suscepti peragundo: Impleat oculis intemeratæ Veritatis & Charitatis sinceræ, ut sequuti ἀληθείαν ἐν ἀγάπῃ *Veritatem in Charitate*, duces fidelissimos Veritatum amatoribus seipsos præbere valeant: Sciant quid spiret cor, sciant quid valeant humeri, quid ferre reculent.

20. Decora Academicarum & Scholarum, Ornamenta Familiarum, Lectissimam, Florentissimamque Studiosæ Juventutis Coronam, earumque nomina ipsis concredita, tribus dilectæ Izraelis, non in *Pectoralis* Iudicii lapidibus pretiosis inscripta; sed in corde, in utroque humero, ambabus ulnis amore tenerrimo gestent.

21. *Imperatores*, quibus Copiarum cura demandata est, *Consilarii*, & qui Civitatis Præsides

fides adjuvant. *Legati*, qui ad Exteros Principes delegantur. *Milites*, pro Patria excubias onerosas agentes: Primò omnium, Amorem Dei & Patriæ, menti suæ proponant in Jesu Christo; illo enim Justitiæ Sole dirigitur Rota Fortunæ. I. *Imperatores* gratiâ incolumitatis Patriæ, Milites ætate ac robore validos, disciplinâ benè institutos, ac ut par est excitatos & exercitatos, militiæ onerum & laborum patientes, deligant. Arma illis, spectatâ temporum conditione, cessione, punctiōneque accommodata porrigant. Prospiciant ut comæatus haut interrumpantur, cibariâque Exercitui alendo nunquàm deficiant, semper sufficiant. Ut res hostium cognoscere, occationes observare, Militem cum hoste committere vel à periculo avertere valeant, Exploratores habeant. Nervum Belli pecuniam in paratis conservent, sine quo Miles coërceri, nec orti tumultus sedari possunt. Militi stipendium expendant & cuique suum tribuant, ne Miles cantare incipiat: *Quæ tua sunt, mea sunt, quæ mea sunt, mea sunt*. Verum enim est de Satellitibus,

*Quamprimùm labitur Nummi prosperitas,*

*Illicò languescit Virtutis Charitas,*

*Sævitur in Milite dura securitas,*

*Exulat Pietas & silet Probitas.*

22. II. *Consilarii* totis viribus incumbere debent, ut nihil eos lateat, quod in Patriæ Civitatis rem conducit. Intrepidus se ostendant. Omnia cum Prudentia conficiant. Instar muri etiam alieni se habeant. Litigantium & alte-

altercantium partes audiant, & secundùm allegata & probata judicent. Tractent Justitiam ne Mundus pereat, si quidem sint Judices: Judices autem nihil sint aliud, quàm Justitiæ animatæ. Non tam cum Fortuna & Crumena, quàm cum Persona loquantur. Animadvertant hocce quod dicturus sum: In Lingua Sancta una eademque vox est, quæ notat tum Aures, tum Stateram s. Bilancem. Nam אָזן significat *Aurem*. Hinc *duale* אָזן אָזן *Aures*. Et אָזן אָזן notat *Stateram* s. *Bilancem*. Quia omnia verba, quæ ab aliis proferuntur, auribus tanquàm duabus *Stateris* librari debent. Monentur quoque hæc voce Judices officii sui, & requirit ab illis Spiritus Sanctus incorruptum *Aurium* iudicium. Inter aures enim est, veluti inter duas *Lances*, media trutina rationis & iudicii. quod in capite peculiari ratione residet, propter inter nos sensus rationi & iudicio ministrantes. Ergo duæ aures iudicibus sunt datæ, quod ea, quæ audiunt, diligenti mentis trutinâ expendere debeant: Id quod tum faciunt, quando non unam partem Litigantium, sed utrâque audiunt.

23. Voluptates Carnales aspernentur ne ab illis sopiantur. Toti Civitati vel Reipublicæ cui præsidet intenti sint, ejus negotia negotiis suis privatis anteponant, sicque Salutem Publicam pro Lege supremâ habeant. Ne sectentur vestigia Epigrammatis Pseudo-Politici illius:

*Non idèò calcabis Equum, quia feceris Equum!*

Y =

Æquum

*Æquum qui faciunt, his malè currit Equus.*  
*Æqui hostes vèctantur Equis, pedes ambulat*  
*Æquus:*

*Ergo sperne Æquum, ne tibi desit Equus.*  
 24. III. *Legati*, seu *Nuncii Publici*, vel si definito opus; qui cum Mandatis Publicis, ab eo, qui Summam habet Potestatem pro bono publico mittuntur ad Exteros: Prudentes, Callidi, circumspècti & Civiles sint oportet. Singulare in *Legatis* est, ut Sancti sint: hoc est, ut vocis fert proprietas, inviolabiles, cujus rei ratio descendit à Jure positivo Gentium, ut nihil in historiis occurrat frequentius, Sacra Legationis, fas Gentium. Debent esse Generoso Pectore, norint vana à solidis discernere, & parvi aut nihil ducere quæ apud Populum sparguntur. Principem Pupulumve à quibus missi sunt, repræsentent, eorumque Faciem & Auctoritatem præferant, unde sese ostendant quasi extra territorium constitutos. De Jure suo sine favore Majestatis mittentis non multum; immò nihil amittant. Cum sunt apud Exteros, Magnatum suggestionibus difficulter auscultent, & contra quaslibet corruptiones impenetrabiles se præbeant. Arcana ipsis concredita fideliter asservent, piaculumque existiment tantillum effutire, quod neciri Principis interest.

25. IV. *Asilii* contenti sint suis stipendiis, & in legitimis omnibus obediunt suis Principibus. Non debent esse temerarii, nec pericula spontè adorianur, nec ubi illa configerint per igna-

ignaviam declinent, in ordinibus servandis sint exercitatissimi, semper suis armis mancant instructi & parati ad resistendum hostibus. Locum ad custodiam assignatum mordicè tueantur, honestam mortem dedecorose VITÆ anteferentes. Libenter itinerum molestias, Castorum labores pro Patriæ incolumitate perferentes. Nec implicent se supra modum negotiis hujus VITÆ: hoc est, negotiis ad rem familiarem aut ad occupationes & studia consueta pertinentibus, unde Miles in Bellum proficiscens dicebat apud *Poëtam*: *Valeatque Venus, Valeantque Puellæ.* Ergo non debent deliciis diffuere; multos enim experientiâ oculorum propriorum scio ex immodicâ ingurgitatione insperatò occubuisse & sic miserè perisse: Debent itaque Latrocinia avitare. Apud quos hibernant non debent infestare, divexare & torquere; hæc enim sunt officia furientis bestię: Néque debent Agricolas molestare:

*Navita de Ventis, de Tauris narrat Arator.*  
*Enumeret Miles Vulnera, Pastor Oves.*

Per modum admonitionis Pentametrum propono, optanda esset observatio; sed præposterè explicat *Miles Hungaricus*, enumerando Oves, Pastore numerante Vulnera. Navita non peccat permutando Hexametrum, enumerando Tauros, Arator narrando de Ventis Nautis secundis in his Oris Maritimis: ut *viz.* possint exercere quæstus, pacta & contractus, navi vehente Navitæ Tauros: Sed apage militares insolentias & violentas rapinas!

*Navita de Tauris, de Ventis narrat* Justitia  
*Arator:* est.  
*Enumerat Pastor Vulpera, Miles* Injusti-  
*les Oves:* tia est.

26. *Curatores Arariorum, seu Prapofiti Publice Pecunie*, seriò intendant, ne propter inopiam & pauperiem Ararii, Civitati aliquid mali accidat; sed ut legitimè abundet & scateat necessum ducant; cavere tamen omni industriâ debent, ne Civibus gravamini sint, dum Bona ad Ararium necessaria colligunt. Justitiam cum Prudentiâ misceant. Neminem aut nimitiâ acerbitate infestent, aut per arrogantiam novas inventiones, unde exsurgunt nova onera, exco- gitent aut receptis adjungant, aut per avaritiam bona ultra modum debiti efflagitent & extorqueant, vel hunc alteri præponant. Sint instar Solis, qui non alius est inopi, alius locupletis; sed omnibus æquus & communis: Ita Curatores debent esse Rerum & Veritatis spectatores, Justitiæque & Benevolentiae ex Prudentia ortæ, Civibus apertores. Ergo non decet illos esse impios: hoc est, Quod meum est, meum est; quod tuum est, meum est, clamantes. Nèque *Idem velle*: Quod Vinculum Amoris esse debet, seditionis atque odii causam facientes: Propter *Meum* enim & *Tuum* primum est principium discordiæ: Nam

*Si duo de nostris tollas Pronomina Rebus;*  
*Prælia cessarent, Pax sine Lite foret.*

Ad

Ad rem sanè *Fagius* olim crebris sermonibus Adagium usurpavit: *Quatuor sunt*, inquit, *conditiones seu proprietates hominum, eorumque Bonorum*. Qui dicit: *Quod meum est, tuum est; & quod tuum est, meum est*; hic idiota est. Qui verò dicit: *Quod meum est, meum est; & quod tuum est, tuum est*; hæc est conditio mediocris. Qui dicit: *Quod meum est, tuum est; & quod tuum est, tuum sit*; hic pius est. Qui verò dicit: *Quod tuum est, meum est; & quod meum est, meum est*; talis impius est. Elegans de Proprietate Bonorum *Pentastichon*:

*Quadruplici inter se graviter pugnare videmus*  
*Proprietate homines, quotquot hic orbis habet.*

Est, *benè qui faciat Reddenti*, Rusticus:  
*Huic vox:*

*Quæ mea sunt, tua sunt; quæ tua sunt,*  
*mea sunt.*

Est, *benè qui faciat Nulli*, Sodomiticus: *Huic vox:*

*Quæ mea sunt, mea sunt; quæ tua sunt,*  
*tua sunt.*

Est, *benè qui faciat Cunctis*, Vir Optimus:  
*Huic vox:*

*Quæ mea sunt, tua sunt; quæ tua sunt, tua*  
*sunt.*

Est, *malè qui faciat Cunctis*, Vir Pessimus:  
*Huic vox:*

*Quæ tua sunt, mea sunt; quæ mea sunt,*  
*mea sunt.*

Trium priorum, Arariorum Procuratores,  
 Y 4 velut

velut Bonorum ad Ærarium necessariorum sint Procuratores industrii, illius Propulsores: ita ut, debito stipendio carere quemquam non sinant, quantumvis Adversarium & ipsis etiam infensum. Auctoritate Majestatum ubi aliquid alteri legatum est, protinus exolvere parati sint, nec molestas sæpè petentibus moras protrahant.

## E P I M E T R O N.

**S**uperius dicta Munera Obligare desinunt ubi Cives esse desierint, & renunciente Urbe, sibi ipsis restituntur: vel ob quoddam facinus à Civitate ad suas vias mittuntur; aut alterius armis victi in Potentioris Oras transmigrare adiunguntur. Hæc verò *Specialia* obligant tamdiu: quandiu eas functiones exercent, à quibus proficiuntur, illis cessantibus, his expirare necessum est. *Virisque* ultimum diem obire decretum est.

Hæc habui in præsentia, quæ in Publicum scribere utile duxi de Germana VITÆ TRIUMPHANTIS Praxi, quam sic exegi, ut nec impiorum ad scelera profligatorum ira, nec ignes, nec possint ferrum, nec edax abolere vetustas. Ergo Deus Paterille Luminum faxit, ut de Lumine ambulemus in Lumen, de Lumine, *inquam*, Naturæ, in Lumen Gratiæ, & inde in Lumen Gloriæ, indulgendo nobis impræsentiarum ad omnia Humanitatis Officia: *Faciem Leonis*. Ad infractam Patientiam in col-

lendo agro Justitiæ & Veritatis: *Faciem Bovis*: Ad intueundum inconniventibus oculis Solem Justitiæ, *Malch. 4: 2.* & Orientem illum ex alto, qui nos visitavit ex visceribus magnæ suæ misericordiæ, *Luc. 1: 78.* *Faciem Aquilæ. Ezech. 1: 10.* O LIBERRIME DEUS, LIBERE fecisti nos ad Te: & inquietum est Cor nostrum donec requiescat in Te! Nos sumus digitorum Tuorum manipuli? Agnoscimus Clementissime Pater: Unde Honos Tuus ore nostro Laudèsq; semper sonabunt, si ve regat hos artus Anima; si ve post funera vivat. Seu mansura suis aliquanto temporis orba Exuviiis, & uda putredo, arida vel caries, vel flammæ absumserit ardor, & tennes disjecerit aura favillas, Te Deum laudabimus. Néque dubitamus animam nostram separatam latam iterum corporis hilpitiū subituram prioris. Credimus Te cum Sapiente Mercatore unum unionem pretiosum ab adulterinis separaturum, *Matt. 13: 46.* Credimus Te esse Omnipotentem summèque Benignum; & ut Olitor qui fortè minuta sub uno diversî generis confusa videbat acervo semina, mox secum singula seligit, componit, conservat, & ad ulteriorem finem summâ curâ fovet:

*Sic Tua sed melior Sapiencia novit acuo*

*Permistos hominum cineres discernere visu.*

*Scis etenim quo ierant, & cujus quaque favilla est.*

*Discretosque iterum componere in ossa, cunctemque*

*Et nervos intermedios, formamque priorem;  
Cuique suam reddens Animam, qua reddita  
membris*

*Fida suis redrix redivivo in corpore deget;*

*Et cæcum in cælos raptio per secula vivet.*

*Aegelicisque choris, turbaque adjuncta fidei*

*Devictâ morte aque Erebo, victoque Satanâ,*

*Eternos Agni decantatura TRIUMPHOS.*

FINIS.



Seç.	Pag.
I. De Aëta Fati breviter eversa.	1.
II. De Existencia Dei & Libertetis illius, qua consistit in Indifferentia.	3.
III. De Voluntate Dei Creandi Hominem Liberrum.	6.
IV. De Libero Hominis Arbitrio, quod etiam consistit in Indifferentia.	10.
V. De Valore Liberi Arbitrii viritum Demonstrato.	31.
VI. De Continuatione Valoris Liberi Arbitrii, cum Remediis quibusdam, contra impetum Passionum excogitatis.	39.
VII. De Continuatione ejusdem Valoris, Mente Libertate Benè Dispositâ ex Passionibus Animi exasciente Virtutes.	50.
VIII. De Prudentia.	57.
IX. De Fortitudine.	71.
X. De Temperantia.	78.
XI. De Justitia.	87.
XII. De Summo Hominis Bono, quod naturale dicitur, & Beatitudine s. Mentis Gaudio & Satisfactione ex possessione Summi Boni resultante.	96.
XIII. De Munere Hominis in Genere, & de ejus actionum Regula.	116.
XIV. De Obligatione, vel si mavis, Obsequio in Genere.	120.
XV. De Officio Hominis erga Pium Opificem.	130.
XVI. De Officiis erga Nosmet-ipsos.	145.
XVII.	

XVII.	<i>De Officiis erga Proximum.</i>	156.
XVIII.	<i>De Dominandi Jure variâque ejus Formâ.</i>	162.
XIX.	<i>De Imperantium in Civitate Summorum Officiis.</i>	199.
XX.	<i>De Civium in Civitate Muneribus erga Majestates Humanas.</i>	238.
XXI.	<i>De Civium erga Totam Civitatem Muneribus, quæ &amp; in Conjugio contemplantur.</i>	243.
XXII.	<i>De Parentum &amp; Liberorum Muneribus ut Civitati bene sit.</i>	260.
XXIII.	<i>De Dominorum Servorum atque Familiarum Muneribus, ut Civitati inde consulatur.</i>	267.
XXIV.	<i>De Civium erga Concives Muneribus.</i>	280.
XXV.	<i>De Civium in Civitate Loquentium &amp; Jurantium Legibus.</i>	287.
XXVI.	<i>De Legibus, quas Civis in Conventionibus &amp; Pactis tenetur observare.</i>	296.
XXVII.	<i>De Contractibus, seu Pactis in Specie.</i>	302.
XXVIII.	<i>De Modis, quibus contracta Civium Obligatio ex Pactis, solvitur.</i>	310.
XXIX.	<i>De Specialibus Hominum in Civitate Muneribus.</i>	313.
	EPIMETRON.	344.

## SPONGIA

Extantiorum Typothetæ Mendarum, quas cum Levionibus neglectis, Festivus Lector humanitatis supparato tegat.

*P* Ag. 2. lin. 9. ex quid, lege quid ex p. 6. l. 22. Volucres. p. 10. l. 13. existimarem. *ibid.* l. 17. quod. p. 12. l. 15. Facultates. *ib.* l. 23. infinita. p. 13. l. 4. facultatum. p. 16. l. 27. aliorum *ib.* l. 18. voluntatem. p. 27. l. 20. miseria. p. 43. l. 31. statim. p. 55. l. 9. Bellis. p. 84. l. 8. Lingvâ l. Lingvæ, subintellige, *Quam.* p. 96. l. 14. prætermisimus. p. 128. l. 6. Jehr. l. Behr. p. 147. l. 28. facessunt. p. 152. l. 20. societatis. 175. l. 1. Indicium. p. 283. l. 30. frustraneum. p. 290. l. 13. juvandi. p. 308. l. 2. plurimis.



